



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Cap. I. Vita S. Henrici Imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

VITA  
S. HENRICI IMPERATORIS  
QVI  
EPISCOPATVM  
BAMBERGENSEM  
CONDIDIT AC FVN-  
DAVIT.

*Nunc primum*  
EX ANTIQVIS CODICIBVS  
INTEGRE EDITA, ET NOTA-  
*tionibus illustrata.*

Studio  
IACOBI GRETSERI SOCIE-  
TATIS IESV THEOLOGI

*Accesserunt*  
QVAEDAM S. HENRICI DIPLOMATA  
*ante hac nunquam euulgata.*

INDEX



AD D. HENRICVM,  
QVI BRVNONI FRATRI EPI-  
SCOPATVM BAMBERGENSEM EVERT-  
RE COGITANTI SQUALIDVS ET BARBA  
femicuulsa apparuit.



*M* Bambergiacus pietas opulescat in oris,  
Fortuna, Caesar, diuite templa beas.  
Huc Athamantei donaria congeri auri,  
Huc preciosa rubri colligis ossa maris.

Et variant sacros Babylonica text a penates,  
Plurimaq; aucta tuis censibus ara nitet.  
Bruno sed egressens expallet concolor auro,  
Templaq; diuitiis vult viduare suis.  
Concilium ergo vocat, sociisq; ostendere tentas  
Qui lacerare tuas possit auarus opes.  
At tu, quanquam alias felici funere gazas  
Indeptus, tutum non finis esse scelus.  
Hinc vellis, partemq; iubes squallere genarum,  
Ne cupiat frater vellere dona tholis.  
Et vincis, nam te moestum ne reddere pergat,  
At templis auidas abstinet ille manus.  
Hac tamen vt valeas fratrem terrere figurâ,  
Pars tantum est vultus depilis vna tuis.  
Hereticus, o Diue tuo sua furti capillo  
Nunc monstra, ab toto vertice caluus eris.

INDEX





INDEX CAPITVM  
VITÆ S. HENRICI IM-  
PERATORIS.

- CAP. I. S. HENRICI ad Imperium electio & inuectio.  
II. Visio S. HENRICO Ratisbonæ ad sepulchrum  
S. VVolffgangi oblata.  
III. S. HENRICI in Religionis cultu amplificando,  
inq. Ecclesiis instaurandis, locupletandis & or-  
nandis indefessum studium.  
IV. Expeditio S. HENRICI contra sclauos. Votum  
eius. Pietas exercitus. Calites in acie visi. Victo-  
ria insignis. Gratiarum actio.  
V. Post partam Victoriam instauratur Ecclesia Merse-  
burgensis.  
VI. Bambergensis Episcopatus fundatio & institutio.  
VII. Duæ Ecclesiæ tribus supra dictis additæ.  
VIII. Prefatiuncula in Pontificum & Imperatorum Di-  
plomata, eorumq. causa.  
IX. Diploma Othonis Imperatoris.  
X. Synodus Francofordiensis, in qua de Episcopatu Bam-  
bergensi condendo actum.  
XI. Bulla Ioannis Papæ, qua institutionem Episcopatus  
Bambergensis confirmat.  
XII. Altera synodus Francofordiensis.  
XIII. Litera Episcopi Herbipolensis, quibus confirmat  
trans-



- transactionem & iurium permutationem inter se & Henricum Regem.
- XIV. *Litera Patriarchæ Aquileiensis ad Henricum Episcopum Würzburgensem.*
- XV. *Litera S. HENRICI de crecto abs se Episcopatu Bambergensi.*
- XVI. *Litera, quibus Clemens II. Papa, Ecclesia Bambergensis priuilegia & immunitates confirmauit.*
- XVII. *Leonis I X. diploma de priuilegiis Ecclesie Bambergensis.*
- XVIII. *Aduentus Leonis I X. in Germaniam. Confirmantur ab eodem Ecclesie Bambergensis priuilegia.*
- XIX. *HENRICI Imperatoris II. Regis III. Constitutio, qua Ecclesia Bambergensis priuilegia confirmantur.*
- XX. *Maleuolentia & inuidia Brunonis fratris in S. HENRICVM.*
- XXI. *Liberalitas S. HENRICI, Eiusdem Zelotypia. S. CVNEGUNDIS innocentiam suam probat.*
- XXII. *S. HENRICVS Imperator Apuliam recuperat: Beneuentanum Monasterium edificat. In Monte Casino à calculi tormentis liberatur ope S. Benedicti.*
- XXIII. *Aduentus S. HENRICI Imperatoris Romam. Inuitatur Benedictus Papa in Germaniam.*
- XXIV. *Confirmatio Priuilegiorum Ecclesie Bambergensis à Benedicto Pontifice.*
- XXV. *Litera Benedicti Papæ ad Eberhardum primum Ecclesie Bambergensis Episcopum.*
- XXVI. *Ad-*



- XXVI. *Aduentus S. HENRICI Cluniacum.*  
 XXVII. *Studium S. HENRICI tam in propria & alie-  
 na salute curanda, quàm in Imperii termi-  
 nis amplificandis.*  
 XXVIII. *Obitus S. HENRICI, & visio de eius meritis  
 in trutina expensis.*  
 XXIX. *Ablutio calicis murata in sanguinem.*  
 XXX. *Paranesis & Epilogus.*  
 XXXI. *Brunonis Episcopi Augustani, qui fuit frater  
 S. HENRICI, de euertendo Episcopatu  
 Bambergensi, impia consilia.*  
 XXXII. *Mulier contracta ad sepulchrum S. HENRI-  
 CI sanitatem recuperat.*  
 XXXIII. *De Aedituo furtum faciente.*  
 XXXIV. *De quodam, cui mandibula dimota erat.*  
 XXXV. *De paralytico.*  
 XXXVI. *De caco.*  
 XXXVII. *De languido.*  
 XXXVIII. *De contracto.*  
 XXXIX. *De Canonizatione Regis.*  
 XL. *De caco.*







COMMENTARIUS  
DE VITA ET REBUS GESTIS  
S. HENRICI IMPERATORIS.

CAPVT I.

*S. Henrici ad Imperium electio &  
euectio.*

*Mors Othonis  
III. Imp.*

*Henrici in  
Imp. electio.*

*Pietas & eru-  
ditio Henrici.*



ANNO ab incarnatione Domini Millesimo primo: ab vrbe autem condita millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo: Ottone puero Romæ defuncto vacante regni solio: Cum de principe subrogando ageretur: omnium vota, nutu diuino, ad eum inclinantur, qui tunc in regno habebatur potissimus. Fuit namq; per idem tempus Dux Bauariorum Henricus tam bonitate quam nobilitate regia conspicuus, & vniuersa morum honestate præclarus. Hic initium sapientiæ timorem Domini pleniter sequutus est: qui erat omni literarum studio principaliter imbutus, totus sanè fide & actu Catholicus. Hic ergo ab omnibus pari voto & communi consensu accersitur, diuina utiq; disponente clementia: vt per temporalis regni fastigium, ad culmen cælesti regni pertingeret. Terrena enim bona omnia, sicut vsu malo alios à salute præpediunt: ita alios vsu bono ad salutem promouent.

CAPVT



## CAPVT II.

Visio S. Henrico Ratisbonæ ad sepulchrum  
S. VVolfgangi oblata.

Vi necdum Cæsaris vel Imperatoris dignitatem obtinenti: apparuit Ratisbonæ Sanctus VVolfgangus in somnis visione tali. Visum namq; est ei, quòd manens in sancti Emmerammi Ecclesia, accederet orandi gratia ad Beati VVolfgangi sepulchrum in eadem Ecclesia situm: cumque ibidem Dominum sanctumque VVolfgangum precibus intimis conaretur exorare, subito videbatur ei ipse Sanctus astare: & huiusmodi verbis ipsum appellare. Intuere diligenter literas in muro, qui est iuxta tumulum meum, scriptas. Erat autem ibi, sicut videbatur, scriptum solummodo: *Post sex.*

Euigilans verò Rex Henricus tractatione diuturna secum reuoluit, paucissima huius visionis scripta: In primis ergò arbitratus, quòd post sex dies esset moriturus; multa dispensat pauperibus. Cum autem sex dierum numerus præteriret & nihil in se corporalis molestiæ sentiret: putauit ad sex menses pertinere. Transacto verò & huius numeri spacio, nihilq; in se infirmitatis passus, arbitratus hunc numerum ad sex annos pertinere: ideoq; & quæ supra; cœpit timere. Cumq; sex annorum numerus integer pertransisset; & septimi anni dies reuolutus venisset: ipso die Cæsaris dignitatem per Apostolicam suscepit consecrationem. Tunc tandem sentiens, qualis esset sua visio, gratias egit Deo, sanctoq; VVolf-

gango, qui sibi talem reuelare dignatus est sublimitatem.



CAPVT

*S. VVolfgangus apparet S. Henrico.*

*Visio S. Henricum sollicitum tenet.*

*Quis visionis exitus.*

*Engitur Imperator.*



*S. Henrici in Religionis cultu amplificando,  
inq. Ecclesiis instaurandis, locupletandis  
& ornandis indefessum  
studium.*



Natus igitur in Regem beatissimus Dei famulus, temporalis regni non contentus angustiis, pro adipiscenda immortalitatis corona, summo Regi ( cui seruire regnare est, ) militare disposuit, summam etiam diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit: Ecclesias ditare possessionibus & immensis ornatibus augere cœpit. Sedes autem Episcopales, Hildensheim ( vbi à puero nutritus & literas edoctus fuit ) Magdeburch, Argentinam. Misenam, & Merseburch ( quæ barbarica immanitate adiacentium Sclauorum vastatæ fuerant ) restaurauit. Et tam ipsis, quàm aliis Episcopatibus per vniuersum regnum, in possessionibus & ornatibus, innumerabilia contulit. Hildensheimensibus verò sanctum Gotehardum diuina edoctus reuelatione præfecit.

*Reparat S. Henricus Sedes Episcopales à Sclauis vastatas.*

*S. Gotehardus.*

Quid autem Merseburgensi Ecclesiæ præ aliis specialius contulerit: futurorum charitati volumus ex parte notificare. Hæc enim Ecclesia tempore Magni Ottonis, illius, inquam, qui ad Lycum fluium sub Sancto Vdalrico confessore Vngaros prostrauit, & Reges eorum, Lælium videlicet & Assur Ratisbonæ, Principibus hoc fieri adiudicantibus, in patibulo suspendit: assiduus incursionibus & hostili vastatione Sclauorum, ad nihilum redacta est. Et quia violentiis vicinarum nationum non poterat resistere: in possessionibus in religione & in omnibus quæ ad Pontificalem dignitatem pertinebant penitus cœpit deficere. Accidit autem, vt eodem tempore Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus viam vniuersæ carnis ingrederetur, & Merseburgensis præsul propter sapientiam à Deo sibi collatam, & propter multas virtutes, quibus adornatus

*Vastatio Ecclesiæ Merseburgensis.*

erat,

TV949



erat, ob quas etiam Othoni Magno gratissimus exitit: in cathedram Magdeburgensem, prædicto Rege id efficiente, præponeretur. Factum est autem, ut Merseburgensis Episcopatus penitus destrueretur, & quæ potiora erant illius Ecclesiæ, in prædiis, in ministerialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgensis Ecclesiæ transferrentur, & de quibusdam reliquiis possessionum, quæ Merseburg remanserant, Abbatia inibi construeretur. Quod factum vsque ad tempus pii Confessoris Henrici immutatum permansit. Cùm autem conuocatis idem Rex Principibus Regni sui Quendelburg curiam celebrasset: vniuersis in id ipsum consentientibus, Poloniam & Boëmiam, cæterasq; Sclauorum adiacentes regiones, quæ fines regni sui vastabant, debellare disposuit.

*Bona Ecclesia  
Merseburgensis  
Magdeburgum  
translata.*

## CAPVT I V.

*Expeditio S. Henrici contra Sclauos. Votum  
eius. Pietas exercitus, calites in acie visi.  
Victoria insignis. Gratia-  
rum actio.*



ongregato itaq; exercitu, contra prædictas nationes aciem direxit. Et faciens transitum per locum, qui *Walbech* dicitur, gladium sancti Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibi seruabatur, accepit. Quo accinctus, ex toto corde suo clamauit & dixit: *Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Inde progressus castra metatus est in campo, vbi Merseburgensis Ecclesia sita est, & videns locum desolatam, & in nihilum redactam, ingemuit & ait. *Beate Laurenti Martyr Christi, si tuo interuentu has barbaras nationes ad quas pergo, Romano Imperio, & Christianæ religioni subiugauero, hunc locum desolatam tuo nomini consecratum: diuina fauente gratia, in pristina dignitatis statum reformabo.*

*Imp cingit se  
gladio Sancti  
Adriani.*

*Psalm. 34.*

*Voto obstringit  
se reparandis  
Ecclesiâ Mer-  
seburgensem.*

B

Vt verò



*S. Henricus  
confugit ad  
preces.  
Diuus exerci-  
tum commen-  
dat.*

*Psal. 78.*

*Videt Impera-  
tor Martyres  
exercitum an-  
tecedentes.*

*Victoria in-  
signis.  
Gratiarum  
actio pro Vi-  
ctoria.  
1. Petri 5.*

Vt verò Principes Polonia & Boëmiæ, ceterarumq; Sclauicarū gentium primates Romanum Imperatorem cum exercitu ad debellandos eos aduenire cognouerunt: innumerabili multitudine collecta, in bellum ei obuiam procefferunt. Quod Regi pio per speculatores suos citò innotuit, & sicut in omnibus angustiis suis solebat, ad orationis arma confugit. Innocatoq; super se nomine Domini; beato Laurentio, Sancto Georgio, & Beato Adriano Martyribus, se suumq; exercitum protegendum cum summa deuotione commisit. Et cum omnes perceptione corporis & sanguinis Domini confortati fuissent, ad locum certaminis venerunt. Vbi cum Rex beatus verbis exhortatoriis ad viriliter agendum singulorum animos erexisset, videns innumerabilem aduersariorum multitudinem: clamauit ad dominum, & ait. *Deus qui conteris bella ab initio: eleua brachium tuum super gentes, qui cogitant seruis tuis mala. Disperge illos in virtute tua: & destrue eos protector meus. Pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: Hæc dicens aperti sunt oculi eius & vidit gloriosos martyres, Georgium videlicet, Laurentium, Adrianum, cum angelo percutiente, exercitum suum præcedentes: & hostium cuneos ad fugam propellentes. Et sicut exercitus Senacherib ab Angelo percutiente contritus est & periit: ita & omnis barbarorum ista multitudo per virtutem Dei conterrita, proiectis armis sine effusione sanguinis Christianorum, fugæ præsidium quæsiuit. Quo viso Rex Sanctus, eleuatis oculis & manibus in cælum, benedixit Deo cæli & ait. *Benedico te Rex cæli & terre, qui superbis resistis & humilibus das gratiam: qui custodis diligentes te & glorificatus es in gentibus, propter datam nobis de cælo victoriam. Visis ergo barbaris & quæ ad futuram pacem prodesse poterant firmissima pactione stabilitis, vir beatus cum suis in sua redierunt cum pace, glorificantes & laudantes Deum, qui saluat sperantes in se.**



CAPVT



## CAPVT V.

*Post partam victoriam instauratur Ecclesia  
Merseburgensis.*

**H**UIC; Christianissimus Rex Poloniã, Boëmiam, Morauiam tributarias fecisset: ob reuerentiam S. Laurentij Martyris, conculcationem & destructionem Merseburgensis Ecclesiã, cœpit pio intuitu misericordiã & pietatis respicere, & ad nihilum redactam in ædificiis, in ministerialibus, in secularibus possessionibus, in Ecclesiasticis ornamentis, in pristinum gradum Pontificalis dignitatis, sicut Deo & Sancto Laurentio vouerat, studuit restaurare. Nec prius ab operibus misericordiã destitit, quo adusq; eam ad antiquum statum dignitatis, & pristinum honorem religionis ex integro reduceret.

*Instauratio  
Ecclesiã Merseburgensis.*

## CAPVT VI.

*Bambergensis Episcopatus fundatio &  
institutio.*

**H**UIC; Episcopatum Babenbergensem ex integro in suo \* domate fundauit, terminis videlicet ab adiacentibus Episcopatibus legitimo \* concambio commutatis. Fundatum verò Episcopatum Principibus Apostolorum Petro & Paulo, & preciosissimo Martyri Georgio attitulum speciali iure sanctæ Rom. Ecclesiã contradidit, vt & primæ Sedi debitum dignitatis impenderet honorem, & suam plantationem tanto patrocinio firmius communiret.

In meridiana quoq; parte ciuitatis Monasterium in honore S. Stephani Protomartyris sub ordine \* Canonico cõstruens: ex altera verò, hoc est, aquilonari, aliud Monasterium sub monachali regula, in honore S. Michaëlis Archangeli, sanctiq; Benedicti Abbatis constituens, sibi, suãq; ciuitati supra Pe-

*\* Doma pro ditione & possessione.*

*\* Permutatione. Lege de his Dismarum lib. 6. & Baron. 1006.*

*Patron. Ecclesiã Bambergensis.*

*Monasterium S. Sephani.*

*\* Canonorum Monasterium S. Michaelis. Hodie Munchsberg.*



*Qua de causa  
Imp. hos patro-  
nos delegerit.*

tram Apostolicæ firmitatis fundatæ, muroq; & propugnaculis meritorum S. Georgij cæterorumq; sanctorum munitæ ac exornatæ contra incentiuos viciorum iactatus, turrim fortitudinis in Stephano, & contra refrigerantes flatus illius, qui in aquilone, vnde malum omne panditur, sedem ponere disposuit, refugium certum in Angelico præparauit præsidio: vt à dextris & à sinistris iustitiæ armis vallatæ in nullo sufficiat insidiator præualere.

## CAPVT VII.

*Dua Ecclesia tribus supradictis addita.*

*Ecclesia S.  
Marsa.*



Is tribus Ecclesiis postea per Guntherum eiusdem Babenbergensis Sedis quartum Præsulem, & per Reginoldum quendam, virum nobilem, addita est quarta Ecclesia in honore sanctæ MARIÆ matris Domini; & sancti Gangolfi Martyris extra urbem versus Orientem in loco \* Teuerflat sub ordine & professione Canonica.

*\* Teuerflat.*

*Hermannus.*

*\* Extra. Ecclesia S. Jacobi Zebedæi F.*

Deniq; sextus eiusdem sedis Episcopus Herimannus \* contra urbem versus Occidentem in honore S. Jacobi Apostoli & filij Zebedæi Ecclesiam sub ordine Canonico initiauit. Hanc Otto, humilis amator pauperum Christi, Octauus eiusdem sedis Episcopus, cooperante Eberhardo Præposito, consummauit & dedicauit, ac \* stirpem ordinemq; illic Deo seruientium decenter disposuit. Sic locus Babenbergensis Ecclesiis & patrocinis sanctorum in modum Crucis vndiq; munitus, Christo IESU crucifixo quotidianum, & sedulum celebrat officium & seruitium pro primo suo fundatore HEINRICO Secundo, Imperatore piissimo, eiusq; cooperantibus & successoribus vel augmentatoribus omnibus: Et vt inibi militantibus Domino maior tranquillitas & securitas, & reuerentia ad supplicandum DEO perseueret, prædictæ quinque Ecclesiæ sic sunt locatæ, vt ferè ab omni strepitu, & tumultu forensi, ac populari sint decentissimè se-

*Apograph.  
Bamb. stirpem.*

*Situs Ecclesiarum Bambergensium.*

gregatæ.

CAPVT



## CAPVT VIII.

*Præfatiuncula in Pontificum & Imperatorum diplomata, eorumq; caussa.*

**N**T autem cunctis liquidius enitescat, qua vigilantia vir beatissimus nouellæ suæ Ecclesiæ bona pacis & tranquillitatis etiam per succedentia tempora prouiderit, aliquas hic tam Episcoporum, quam Regum inferimus confirmationis Epistolas: ut, quia duo sunt, quibus hic mundus principaliter regitur, Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas, ex utroq; horum suffulta à dextris & sinistris, ab omnium molestia infestationum securè monstratur in perpetuum defensa. Dicente enim Domino Salvatore; duos Ecclesiæ gladios sufficere, quorum vnus ad diuisionem animæ ac spiritus penetrat; alter inflexibilia & dura corda rigore suo domat & premit: quidquid eorundem gladiatorum iure hinc inde munitur; constat profectò, quod nullius mali incurfione ab status sui rectitudine labefactetur. Prius tamen hic chartam Ottonis\* tertij Imperatoris præscribimus, ut scire uolentibus, qualiter ipse locus Babenbergensis in ditionem sancti Regis obuenerit, ex eadem conscriptionis pagina colligatur.

*Duo Ecclesiæ gladij. Luca 22.*

*Error librarij: necessario Othoni II. hoc diploma tribui debet.*

## CAPVT IX.

*Diploma Othonis Imperatoris.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis: Otto diuina prouidentia Imperator Augustus. Nouerint omnes nostri fideles præsentis scilicet & futuri, qualiter nos ob interuentum dilectissimæ genitricis nostræ Adelheide caræ nepoti nostro Bauariorum Duci HEINRICO quoddam iuris nostri prædium, ciuitatem uidelicet Babenberc nominatam, cum omnibus ad hanc respicientibus, & Nemkin Vraha in comitatu Bertholdi Comitris Volckfelt, nuncupato, sita,

B 3 nostra



nostra Imperiali potentia in perpetuum et usum proprietatis concessimus, firmiterque donauimus cum vtriusque sexus mancipiis, adificiis, Ecclesiis, terris cultis & incultis, & cum omnibus iure, legaliterque, ad hæc iam dicta prædia pertinentibus, eo tenore, ut libero ipse deinceps perfruatur arbitrio, hæc tenendi, commutandi, dandi, posteris relinquendi, seu quidquid sibi libuerit, inde faciendi. Et ut præceptum stabilius firmitusque permaneat, hæc chartam inscribi iussimus, annuloque, sigillatam propria manu nostra roborauimus. Data V. Kalend. Iulij indict. 1. Anno Regni Domini Ottonis XI V. Imperij autem VII.

## CAPVT X.

*Synodus Francofordiensis, in qua de Episcopatu Bambergensi condendo actum.*

**A**nno igitur ab Incarnatione Domini M. VII. indict. V. III. Kal. Nouembris magna synodus Episcoporum, aliorumque Patrum habita est & celebrata in Villa regia Franchenfurt mediante Rege magno & pacifico HEINRICO Anno regni sui VII. Nam dum idem Deo deuotus rex alta mensis consideratione secum volueret, in quo potissimum opere DEI misericordiam sibi facilius conciliaret, & ex diuini instinctu consilij inspiratus disposuit, ut DEVM sibi hæredem eligeret, & conscriberet, & Episcopatum Babenbergensem, ut præscriptum est, ex rebus hæreditariis construeret, ut & paganismus Sclauorum ibi destrueretur, & Christiani nominis memoria perpetualiter inibi celebris haberetur. Sed cum parochiam ad eandem sedem respicientem non haberet, & sanctam Pentecosten in eodem anno Regni sui Moguntia celebraret, partem VVirzeburgensis dioceseos, Comitatum videlicet Raterzgeuue dictum, & pagi VVolcvelt dicti, inter fluuios Vraba & Ratenza sita, ab Heinrico VVirzeburgensi Episcopo firma, ac legali traditione acquisiuit, tradens e contra VVirzeburgensi Ecclesie C. L. mansos in vico Memmigun dicto, & in proximè adiacentibus locis, consentientibus, & concurrentibus in hæc vota illius Henrico

\*Ditm. Radin.  
z. ca.



Henrico V Virzeburgensi, & Villigiso Moguntia Metropolis Archiepiscopo, multisq; qui praesentes fuerunt, Archiepiscopis, & Episcopis, legitimum hoc concambium attestacione sua, & subscriptione roborantibus.

Gloriosissimus vero Rex compos voti effectus, pari supradictorum Patrum consultu, duos ex Capellanis suis Albericum & Luduicum adiunctis V Virzeburgensis Episcopi literis, Romam vsq; direxit, quatenus haec bene coepta in melius proficerent auctoritate \* Apostolica. At Romanus Pontifex, & vniuersalis Papa, Ioannes piissimi Regis deuotioni congaudens, habita in sancti Petri Basilica synodo pro confirmando Episcopatu Babebergensi, priuilegium fecit conscribi, & Apostolica auctoritate firmari vniuersis Gallia & Germania Episcopis rescribens, vt & ipsi pari, communiq; auctoritate praedictum Episcopatum roborarent; cuius videlicet priuilegij exemplar in hunc modum se habet.

*Imp. mittit legatos ad Ioan. XIX. Pontif. Rom. Si rata habeat, qua de nouo Episcopatu Bambergensi decreta fuerant. \* Cod. Vienn. Romana.*

## CAPVT XI.

*Bulla Ioannis Papa, qua institutionem Episcopatus Bambergensis confirmat.*

**I**oannes Episcopus seruus seruorum Dei. Officij nostri est omnium sanctarum Dei Ecclesiarum commoda generaliter considerare, & maxime earum, qua specialiter sub iure ac dominio nostrae Romanae Ecclesiae consistunt: si quod est incommodum, abolere, ne pro graui incommoditate sua neglecta vilescant; vel qualibet naeta occasione, debita solemnitate careant. Propterea omnibus sanctae Dei Ecclesiae fidelibus, praesentibus scilicet & futuris, notum esse volumus: quia dilectus & spiritualis noster filius HEINRICVS gloriosissimus, atq; inuictissimus Rex, diuina inspirante clementia, de propriis hereditariis rebus, pro sua suorumq; parentum anima, Episcopatum in loco, qui dicitur Babenberg, perfecta fidei, & charitatis deuotione, in honorem beatissimi Petri Apostolorum Principis esse constituit, commutatione facta iure, ac legaliter cum Henrico V Virzeburgensi Episcopo de aliqua parte parochiae  
sui



\* Inde Apogr.  
Bamb.

sui Episcopatus. \* Vnde etiam predictus Episcopus nobis suas literas misit, ut suo consensu, priuilegio nostra Apostolica auctoritatis Episcopatus nouiter factus fundaretur.

Pro qua ratione Henricus Secundus gloriosissimus Rex nuncios suos ad nos direxit, qui nobis haec omnia dicerent, & nos pro hac sede confirmanda interpellarent. Cuius sanctissimam imitationem paterna, & praecordiali dilectione intuentes, omnes res, quas beato Petro Apostolorum Principi, in loco praenominate, legitima ratione collectas contulit, nostra auctoritatis priuilegio confirmare decernimus, ea videlicet ratione, ut Episcopus eius loci, & qui in perpetuum tui fuerint successores, ea, secunda tranquillitate possideant, & liberam habeant potestatem res & proprietates eiusdem Ecclesiae ordinare, atq; componere, vel etiam augmentare: dissipare vero, atq; confundere, nullam habeant potestatem.

\* Forst.

Mundeburde  
est turela, tui-  
rio, defensio,  
dicitur & Mü-  
diburgium.

Nostra quoque auctoritate sancimus, uti in terminis, & in rebus eiusdem Ecclesiae nulla sit infestatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet prauorum hominum, siue sint in ciuitate ipsa Babenberg, siue in castellis, & villis, seruis & ancillis, tributariis decimis\* forestibus, siluis, piscationibus, venationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, & quidquid modò illuc pertinet, vel in futurum acquiri possit, per nostra auctoritatis priuilegium corroboratum, in secura quiete permaneat. Nullus ibi Comes aut Iudex legem facere praesumat, nisi quam per concessionem gloriosissimi Regis HENRICI vel successorum eius Episcopus loci eiusdem deligeret. Nulla aliena potestas ibi per violentiam irruat. Sit ille Episcopus liber, & ab omni potestate extranea securus, Romano tantummodo\* mundi burdio subditus: quatenus Episcopus eò melius cum Canonicis suis seruitio Dei possit insistere, & primi constructori eiusdem loci, & recuperatoris iugiter memoriam habere. Sit tamen idem suo metropolitano\* subiectus, atq; obediens. Quicumq; haec praeccepta seruauerit, diuinam remunerationem, & Apostolicam benedictionem accipiat. Qui autem contempserit, & violator exstiterit, perpetui anathematis damnationi subiacet, nisi resipiscens ad satisfactionem peruenerit. Scriptum per manus Petri notarij, & Scriniarij sanctae Romanae Ecclesiae

\* In Cod. Vienn.  
additur: Ar-  
chiepiscopo  
Moguntino.

\* Est hic Annus  
Domini 1007.  
Ioan. Papa,  
Quintus.

in mense Iunio \* Indi. V.



CAPVT



## CAPVT XII.

*Altera Synodus Francofordiensis.*

**H**abito igitur rursus generali Concilio in Fran-  
chenfurt, cui praesedit venerabilis Archiepiscopus  
V Villigis Moguntinus, vniuersi Archiepiscopi &  
Episcopi, qui interfuerunt, numero \* XX XVI. de-  
bita cum veneratione priuilegium hoc sedis Apostolicae sus-  
cipientes, vnanimiter deuotis mentibus laudauerunt, & \* scri-  
bendum roborauerunt.

De supradictis vero parochiae terminis ab Ecclesia VVir-  
zeburgensi commutatis. ne qua fieret in posterum querela, vel  
dubitatio, subiectam conscribi paginam fecerunt: cui subscri-  
psit primo quidem ipse Henricus VVirzeburgensis Episco-  
pus, deinde eiusdem Ecclesiae Praepositi, siue Presbyteri nu-  
mero nouem.

## CAPVT XIII.

*Litterae Episcopi Herbipol. quibus confirmat  
transactionem & iurium permuta-  
tionem inter se & Henricum  
Regem.*

**M**niū sancte Dei Ecclesiae fidelium tam praesentium,  
quam futurorum notitiam non latere desideramus, quali-  
ter gloriosissimus Rex HEINRICVS, diuina, vt credimus,  
admonitionis stimulo compunctus, de praediis, quae Dei gra-  
tia, hereditarioq. iure parentum, in suae possessionis dominium perueniant,  
Dei seruitium augere, Episcopatum constituendo, desiderans; quo id legiti-  
me, rationabiliterq. fieri potuisset, Henricum venerabilem VVirzeburgen-  
sis Ecclesiae prouisorem, quatenus quendam locum Babeberch nuncupatum  
cum pago Raozengeuum dictum, qui ad sua dioeceseos statum pertinere vi-  
debat, de suo iure in suum ius ad id perficiendum transfunderet, studiose  
cepit flagitare.

Qua

*Alia Synodus  
Frauc. in qua  
comprobatur  
& recipitur  
Bulla Pontifi-  
cis. De Villi-  
giso lege Ser-  
uum lib. 5. re-  
rum Mogunt.  
Fuit is primus  
Electo inter  
Moguntinos  
Antistes.  
\* XXX. VII. sic  
Apogr. Bamb.  
\* Subscribendo.  
Sic Apogr.  
Bamb. idem.*



Quæ, quoniam iustæ, & rationabiles causæ videbantur, eiusdè augustissimi, & inuictissimi Regi petitionibus acquiescens, cum communi cleri sui atq; militum, nec non totius populi consilio & consensu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parochianis Ecclesiis exceptis, cum suis adiacentiis, quarum hæc sunt nomina, VVachenrode, Lonerstat, Mûlehufen, omni postmodum remota contradictione, suæ potestati tradidit. Alterius autem pagi, qui Volfeld vocatur, in quo præfatus locus situs est, partem eidem Regi concessit, quantum est de Babenberch ad flumen Vraha; de Vraha in Ratenzam flumen, & sic iuxta decursum eiusdem fluminis in \* Moir, & inde ad riuulum VVichibach; deinde ad caput eiusdem riuuli, scq; quâ citissime, & proximè perueniri potest ad Vraha. Actum in ciuitate VVirzeburgensi, præsentē serenissimo Imperatore HEINRICO, ea conditione, vt decimam in noualibus iam incisis, & ad \* mansum mensuratis cum veteri decima non commutata, VVirzeburgensis Ecclesia retineat. In noualibus verò post hinc excolendis decimam Babenbergensis Ecclesia possideat cum termino commutato.

\* *Mansum.*

\* *Mansus seu mansum, fundus prædictus, hereditarius.*

## CAPVT XI V.

*Litera Patriarchæ Aquileiensis ad Henricum Episcopum VVirzeburgensem.*

*Litera Patriarchæ Aquileiensis: de quo infra itide mentione, Sibi de Bambergensis Ecclesia dedicatione agitur.*



Ed & Ioannes Aquileiensis Patriarcha opus tam laudabile Regis excellentissimi, & piam erga Christum deuotionem toto affectu amplectens Henrico Episcopo VVirzeburgensi gratulationis plenam scripsit Epistolam.

Beatissimo Domino & sincera charitate diligendo Henrico sanctæ VVirzeburgensis Ecclesiæ Episcopo venerabili, Ioannes Aquileiensis Ecclesiæ Patriarcha cum omnibus suæ diæceseos Episcopis, fraternam dilectionem in eo, qui prior dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, Iesu Christo Domino nostro.

Licet, reuerende frater, fraternæ dilectionis cura nos admoneat, vt in omnibus operibus bonis quæ conditor humani generis misericorditer ad salutem quotidie disponit, immensas gratiarum actiones ipsi agere debeamus: quando-



quandocumq; tamen vel vbiq; ex prouectu sanctæ Ecclesiæ, vel eius exaltatione, locatione, nos aliquid magnifici operis audire contigerit, immense deuotionis affectu, & spiritualis exultationis effectu illum laudare, benedicere & predicare debemus, cuius hæc dona sunt, & à quo bona cuncta ineffabiliter procedunt. Qui inter innumerabilia sempiternæ dignationis sacramenta ea & in suorum cordibus Principum dictat, quæ ad multorum exemplum, & salutem profutura procurat.

In quibus vnum est, quod nuper diuinitus factum, maximam mentibus nostris letitiam generauit. Audiuius, quod Dominus noster HEINRICVS gloriosissimus & inuictissimus Rex, diuina sibi inspirante gratia, ex suis prædiis, & paterna hereditate, in loco, qui dicitur Babenberc Episcopatum in honore beatissimi Petri Apostolorum Principis constituerit, & commutatione facta, digne & legaliter cum Ecclesia vestra, partem quandam ex eius diocesi acquisiuit: atq; hoc concambium Apostolicæ sedis priuilegio corroborauit. Quod quidem eximium, & laudabile opus, & eius dignissimam liberalitatem, & vestram charitatem satè egregiè predicabilem commendat; cum & suum est, per operationem; & vestrum sit per dilectionem.

In quo omnipotenti Deo immensas gratias referimus, ad cuius inestimabilem gloriam spectat, quod per Regem nostrum HEINRICVM, bonum & fidelem ministrum suum, fundatissimam pacem omnibus Ecclesiis præstat, & insuper nouam format Ecclesiam, per quam & de inimico humani generis in vicinas Sclauorum gentes, Deo opitulante, triumphabit, & innumerabilem familiam per lauacrum regenerationis sibi multiplicabit.

Nos autem cum omnibus nostræ dioceseos Episcopis hoc diuinum opus in commune laudamus, atq; in eo iuste consentientes, & subter conscribentes, in perpetuum valere confirmamus.

## CAPVT XV.

*Literæ S. Henrici de erecto abs se Episcopatu Bambergensi.*



HEINRICVS diuina præordinante clementia Rex omnibus Ecclesiæ filiis tam futuris, quàm presentibus. Saluberrimus sacri eloquij institutionibus erudimur, & præmonemur, vt temporalia relinquentes bona, & terrena postponentes commoda,



commoda, aeterna & sine fine mansura in caelis studeamus adipisci consistoria. Gloria enim praesens fugitiua est, & vana, dum possidetur, nisi in ea aliquid de caelesti aeternitate cogitetur. Sed Dei miseratio humano generi prouidit remedium; quando partem caelestis patriae, terrena substantia fecit esse precium. Huius ergo nos clementia non immemores, nec ignoantes nos gratuito diuinae miseratiois respectu, regali dignitate sublimatos, congruum esse ducimus, non solum Ecclesias ab antecessoribus nostris constructas ampliare, sed ad maiorem gloriam Dei, nouas edificare, easque deuotionis nostrae donis gratissimis exaltare.

Matth. 5.

Hinc etiam liquet supra recitatum diploma ad Orthodoxiam II. & ad patrem nostri Henrici pertinere, cum Babergam iure hereditatis paternae ad se peruenisse scribat.

Factum Regis probatur ab vniuersis principibus Regni. Patroni Bambergenses.

Dona & bona Ecclesia Bamb. à Rege oblata.

\* Praestariis sic Apogr. Bamb.

Quapropter dominicis non surdum auditum praebentes praeceptis, & deificis obtemperando intendentes suasionibus, thesauros diuinae largitatis misericordia nobis collatos, in caelo desideramus reponere, ubi neque fures effodiunt, nec surantur, neque arugo, vel tineae demolitur, ubi & dum omnia nunc congesta recolimus, cor nostrum desiderio & amore saepius versetur.

Proinde patere volumus omnium fidelium vniuersitati, quod quendam paternae hereditatis nostrae locum Babenber dictum, in sedem & culmen Episcopatus proueximus, & Romanae sedis auctoritate firmatum, atque venerabilis Henrici Wirzburgensis Episcopi consensu, & dilectae coniugis nostrae Chunegundae voluntate, ac pari communi omnium nostri fidelium tam Archiepiscoporum, quam Episcoporum, Abbatum, nec non & Ducum, & Comitum consulto, decretoque, ac totius regni nostri, Principumque, concordia deuotione laudatum, ad honorem omnipotentis Dei, & beatae MARIAE semper Virginis, & sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, nec non sanctorum Kiliani, & Georgij fundauimus, stabiluimus, & corroborauimus, ut inibi nostrum, parentumque nostrorum, & Ottonis terij Imperatoris, videlicet antecessoris nostri, celebre habeatur memoriale, & iugis pro omnibus orthodoxis mactetur hostia salutaris.

Oblatis igitur Deo in eadem dilecta nobis Ecclesia ad honorem & decorem domus Dei, ex metallis lapidibusque preciosis in varios usus sanctuarij, vasis seu vestibis, aliisque ornamentis Ecclesiasticis, contulimus praeterea ad supra dictam Sedem Episcopalem praedia, Ecclesias, vicos, villas cum omnibus suis pertinentiis siue adherentiis, videlicet vtriusque, sexus mancipiis, aruis, aedificiis, terris cultis, viis & iniuis, exitibus & reditibus, quascumque & inquirendis, siluis, fagenis, venationibus, pratis, pascuis, campis, forestis, \* forestariis, cellariis, censibus, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, mobilibus, & immobilibus, & ceteris omnibus, quam rite scribi aut appellari possunt, quomodo-



modolibet vtilitatibus, presenti nostra auctoritate edicto statuentes, vt in Deo nobis dilectus saepe dicta sedis Episcopus Eberhardus, suiq; successores liberam de hinc habeant potestatem, eadem praescripta bona cum omnibus appendiciis suis tenendi, possidendi, seu in quoslibet vsus Episcopatus conuertendi; fratribus autem Canonicis Deo ibidem famulantibus ad quotidiana temporalis vitae subsidia, possessiones, quas tradidimus nostra imperiali auctoritate proprietatiue possidenda confirmamus, ea videlicet ratione, vt praefati Canonici, & eorum per successionem Praepositi, liberam, de hinc cum ipsorum Canonicorum consensu, & consilio potestatem habeant in meliores vsus commutandi, augmentandi, & ad vtilitatem suam quoquomodo redigendi; quatenus & ipsi, nostri benignè memores apud Deum, ac dilectissimæ coniugis nostræ, atq; consortis regni Chuneunda, parentumq; nostrorum versa vice beneficiis nostris pia atq; assidua intercessione respondeant.

Eberhardus  
primus Episcopus  
Bamberg.

Si quis autem, quod absit, huius nostræ munificentiam donationis, atq; institutum Apostolicæ sedis, & tot venerabilium Patrum auctoritate firmatum destruere, seu violare tentauerit, in die iudicij coram oculis Dei tormento inexstinguibili aternaliter luat. Quod ne eueniat: sed hæc traditio atq; decretum ab omnibus perpetualliter inuiolabilis permaneat, hanc chartam inde conscriptam manu propria roborantes sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

## CAPVT XVI.

*Litera, quibus Clemens II. Papa, Ecclesia  
Bambergensis priuilegia & immunitates confirmauit.*

**N**ec verò solummodo in vita, superstitute adhuc Rege gloriosissimo, sed magis etiam post transitum eius de morte ad vitam, felix ipsius plantatio, Babenbergensis videlicet Ecclesia, diuinæ gratiæ imbribus irrigata de die in diem accipit incrementum, saepe numero à sancta, speciali q; matre sua Romana Ecclesia vberibus piæ consolationis potata, ac satiata, regum quoq; succedentium auctoritate, vel priuilegiis nobiliter, ac firmiter in

C 3      perpe-



\* Suidgerus, secundus Episcopus Bambergensis scribit Hermannus.

\* Factum est hoc anno Domini 1046, lege Baron. hoc anno & sequenti. Litera Clementis II. Papa, auctorea Episcopi Bambergensis. Alloquitur ipsam Bambergensem Ecclesiam.

\* Dicit hoc propter Simoniacos, qui sedem illam inuadebant, & violenter occupabant.

\* Benedicto IX. Siluestro III. & Gregorio VI. Hoc quomodo intelligendum sit, discas ex

Bar. An. 1046. Vbi etiam Gregorius excusat, & dicitur sanctum fuisse monachum fratrem. Lege eundem An. 1044.

\* Cod. Vien. quo nescio pacto liceat exprimi.

perpetuum sublimata. Denique; \* Suidegerus sanctus Babenbergensis Episcopus quem HENRICVS Rex Tertius, tribus inuasoribus Apostolicae Sedis dignè & iustè explosis, Catholicum & legitimum Papam constituens, \* Clementem II. appellauit, ipseque & vxor eius Agnes in die sancto Dominici Natalis Imperialem benedictionem ab illo accepit; quanto amore primæ Cathedræ suæ locum dilexerit, missis eidem à Sede Apostolica huiusmodi priuilegiis, satis ostendit.

CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei sacratissima nostra Babenbergensi Ecclesie in filiis & filiabus eius, clero videlicet ac populo perpetuam in Domino salutem.

Dispensatio seculorum venit de Principe cælorum, qui antequam secula efficerentur, præciuit, qualiter disponerentur; inde sit, vt non possit non impleri, quod ab eterno illius oculo potuit præiuderi. Tanti uiminis nutus, te, suam charissimam filiam, Babenberg, nobis in sponsam legitimam desponsauit, & arte rogere, quantum in nobis fuit, sua propitiatione donauit. Certe nulli marito circa vxorem fides purior, & amor ardentior, quam circa te

nobis. Nec vnquam vel in mentem venit te destituere, & alij adherere. Sed nescio quo diuino consilio actum est, vt matri tuae omniumque Ecclesiarum consociarer, & aliquantum; tamen non omninò à te separarer. Ecce enim, cum illud caput mundi, illa Romana \* Sedes heretico morbo laboraret, & charissimi filij nostri Domini HENRICI Imperatoris Augusti presentia ad hoc inuigilaret, ad hoc instaret, vt huiusmodi agritudinem propulsaret, \* explosis tribus illis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat, inter tot agmina sanctorum, qui aderant, Patrum, dignatio cælestis gratiæ nostram indignissimam mediocritatem cunctis nisiis refragantem, voluit eligi, & altissimi Apostolorum Principis vice fungi.

Auulsum me tunc à suo gratissimo latere, sponsa dulcissima, quis dolor apprehenderit, qui mæror consecerit, \* quo pacto exprimam, nescio, cum nobis omnem modum videretur transgredi. Plus honoris est, plus decoris, plus inquam virum matri quam filie, vt pote cui omne genu terrestrium flectitur: pro cuius arbitrio ianua cæli aperitur & clauditur, aduersus quam nec portæ preualent inferorum. Non tamen tantæ dominationis cupido ostio nostræ mentis irrepit, cordisq; ceruicem libenter inflexit. Satis nobis erat tecum: actiuam bene; contemplatiuam quoquo modo ducebamus vitam: præsertim cum perfectus amor nec speciem alterius vnquam, nec intueretur opulen-



opulentiam. Testem inuocamus aciem diuinam non commentari nos apologiam. Illa enim secretum cordis rimatur, cui nulla nox obtenebratur. Pro teste quoque, utimur ipsa conscientia, ubi sua est sollicitudo continua. Interiorum pupillam nec terrarum spaciositas, nec tor retundunt opposita; quin amicam meam, sororem meam, sponsam meam, columbam meam diligentiori cura circumspiciam & vndique munitam faciam. Concessum nobis est diuinitus, non ex nostris meritis, ut iam diximus, ius illud Apostolicum, quo & cœlis imperatur & terris. Vnde dignum duximus, & accommodum decreuimus, ut de profectu nostro tu quoque proficias, & inde tibi amplius confulas, vnde nobis illa potestas ampliatur.

Piissimæ recordationis Dominus Henricus Imperator Augustus te fundauit, te erexit, te etiam in altum culmen euexit. Quo supplice, inexpugnabili muro & propugnaculis Apostolici muniminis aduersus omnes impias manus prævalentes bene circumuallata es, per prædecessores nostros, Ioannem scilicet \* XIV. Papam, & Benedictum. Quod etiam idem nos facere cupientes, ut triplici tuitione circumcincta, per virtutem S. Trinitatis nihil unquam patiari lesionis, nihil unquam ab aliquo molestari idius, secunda semper & quæta manens in filiis & filiabus tuis, semper Deo deuotè seruans, deuotè obediens; secunda semper & quæta manens; statuimus per hoc nostri magisterij priuilegium, ut de bonis illis omnibus, quæ tibi, sponsa charissima, virgo castissima, Ecclesia speciosissima Babenberc, summa liberalitas eiusdem orthodoxi Imperatoris, de summa deuotione procedens, pio affectu contulit, & nomine tenus illa per concambium conuenientissimum, & acceptissimum à VVirzeburgensi, & Eistetensi Episcopis Canonico & rationabili iudicio permutauit: vel quorumcumque, post eum fidelium religiosa pietas obtulit, & oblatura est, usque in perpetuum, siue sint mobilia, siue immobilia, nullus Imperator, nullus Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes: præterea non Archiepiscopus, non Episcopus, non Abbas, nec vlla hominum persona, audeat, tentet, præsumat, quidquam vel violentia, vel fraude, vel furto detrahere, minuire, mutilare.

Quod si quis diabolico instinctu pulsatus, crudeli temeritate admittere non perhorruerit, & admissum citius emendare neglexerit, huiusmodi hominem, quicumque sit, de communione sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri IESU Christi, & à participio totius Christianitatis non solum excludimus, sed etiam propulsamus: quin etiam Apostolici anathematis acutissima lancea eum transfuerberamus, ut, pro malefactu male perditus mortem

\* Est Ioan. XIX.  
Et Benedictus  
VIII.



mortem gemat aternam, associatus in Gehenna inferioris inferni demonum principi, mortis inuentori, & etiam Iuda sacrilego & proditori, vndiq; circumcinctus draconibus Tartareis, in vltionem seuientibus; nec in vltimo tremendi diei iudicio ad vitam resurgat: sed crudelissimum corpus resumens duplici contritione conteratur, infelicissimo & miserrimo genere viuendi, mortem querens, & non inueniens.

Qui vero pio intuitu proprias manus ab huiusmodi temeritate subtraxerit, & si ita res exegerit, aduersum omnes insurgentes, & quidquam auferre conantes, ea bona defenderit, ad tuum, tuorumq; opus, sanctissima Babenbergi illa scilicet, vt predictum est, qua tibi collata sunt, vel de cetero in aeternum tibi conferenda sunt, talis ab illo benedicatur, qui super Cherubim sedet, & gloriatur pro eo, quod hoc nostra Apostolica auctoritatis privilegium studuit obseruare illi, suoq; robore solidatum: quod nimirum consilio, & voluntate, nec non alacri promptoq; animo charissimi filij nostri iam superius memorati \* Domini HENRICI Imperatoris Augusti, de nostra Apostolica sede tibi transmissum eidem gratulare. Etenim vt te plantauit conditor tuus ille primus HENRICVS Caesar Augustus, sic est hic secundus vestigia eius secutus, & vt pari nomine, pariq; dignitate, sic pari deuotione te rigauit, tibi incrementum dedit, & adhuc dum vsq; vixerit, Deo miserante, & inspirante, dabit. In quo te, dulcissima sponsa, optamus in secula seculorum crescere, pollere, vigere, dicentes. Bene valete.

\* Loquitur de Henrico II. Imp. & Rege III. huius nominis.

## CAPVT XVII.

## Leonis IX. Diploma de privilegijs Ecclesie Bambergensis.

\* Mortuus est Clemens II. Papa Anno 1047. VII. Idus Octob. mense nono à Pontificatu inito. \* Vide Bar. 1048.



Ost huius piæ memoriæ \* Clementis felicem excessum, cum Damasus Papa, qui & Poppo, Brixensis prius Episcopus, sedisset triginta tantum dies, LEO IX. qui & Bruno, à suprâ dicto HENRICO tertio Imperatore electus, & centesimus, quinquagesimus secundus Papa constitutus, in signū benignitatis, quam erga Babenbergensem locum habuit, Hartuico III. Episcopo Pallium direxit ab Apostolica Sede, scribens ei Epistolam in hæc verba:

LEO Episcopus seruus seruorum Dei Hartuico Babenbergensis Ecclesie ve-



ſie venerabili Epifcopo perpetuam in Domino I. ſv Chriſto ſalutem. Si paſtores ouium ſolem, geluq; pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt, & vt ne qua ex eis aut errando pereat, aut ſerimis laniata morſibus rapiatur, oculus ſemper vigilantibus circumſpectant; quanto ſudore, quantaq; debemus peruigiles eſſe diligentia, nos, qui paſtores animarum dicimur? Attendamus, & ſuſceptum officium exhibere erga cuſtodiam dominicarum ouium non ceſſemus, ne in die diuini examinis pro deſidia noſtra, ante ſummum paſtorem negligentia reatus nos excruciet, vnde modò honoris reuerentia ſubliliores inter ceteros iudicamur.

Ad miſſarum itaq; ſolemnia celebranda fraternitati tua palliũ tranſmittimus, quod antecęſſoribus tuis nunquam antè conſeſſum, modò tibi primo concedimus, rogatu dilectiſſimi filij noſtri Imperatoris HENRICI, & pro veneratione antecęſſoris tui, pia memoria, Domni Papę Clementis, & pro memoria HENRICI Imperatoris primi, præſatę Eccleſię conſtructoris benigniſſimi. Quo tibi ter in anno vti permittimus, ſaluã auctoritate Domnę Metropolitanę Moguntinę Eccleſię, ſcilicet in die S. Reſurrectionis, & in Natalitijs Apoſtolorum Petri & Pauli, & in ſolemnitate S. Dionyſii, eò quod tunc anniuersarius dies celebratur Domni Papę Clementis ſupra memorati, hancq; diem ſanctam Apoſtolica auctoritate ſtatuiſſimus celebrem eſſe per totum Epifcopatum.

Cuius quoniam indumenti honor modęſtia actuum in veritate ſeruandus eſt, hortamur, vt ei morum tuorum ornamenta conueniant: quatenus auctore Deo, rectè vtrobiq; poſſis eſſe conſpicuus. Itaq; vita tua filiis tuis ſit regula. In ipſa ſi qua tortitudo illis iniecta eſt dirigatur: in eo, quod imitentur aſpiciant; in ipſa conſideranda ſemper proficiant: vt tuum, poſt DEVM, videatur eſſe, quod benè vixerint. Cor ergo tuum neq; proſpera, que temporaliter blandiuntur, extollant: neq; aduerſa deiciant, ſed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiſcretus inueniat. Miſericordem te, prout virtus patitur, pauperibus exhibeto. Oppreſſis deſenſio tua ſubueniat, opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullius faciem contra iuſtitiam accipias, nullum querentem iuſta deſpicias. Cuſtodia in te æquitatis excellat, vt nec diuitem potentia ſua aliquid apud te extra viam ſuadeat rationis audire; neq; pauperem de ſe ſua faciat humilitas deſperare, quatenus, DEO miſerante, poſſis talis exiſtere, qualem ſacra lectio præcipit dicens: Oportet Epifcopum irreprehenſibilem eſſe: Sed his omnibus ſalubriter vti

D poteris,

Breue Leonis  
IX. ad Epifcop.  
Bamberg.

Pallium tranſ-  
mittitur Epi-  
ſcopo Bamberg.  
à Leone IX.  
Harſticus  
Epifc Bam-  
berg. primo pallio  
donatur.  
Quoties Epif-  
copus Bam-  
berg. pallio quor-  
dam die poſuit.

Quid pallium  
ab Epifcopo  
poſtulet.

1. Tim. 3.



poteris, si magistram charitatem habueris. Quam qui secutus fuerit, à recto aliquando tramite non recedit.

Ecce, frater charissime, inter multa alia ista sacerdotij; ista sunt pallij. Quæ, si studiose seruaueris, quod de foris accepisse ostenderis, intus habebis. Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratia suæ protectionis circundet, atq; ita in itineris sui via nos dirigat, vt post huius vitæ amaritudinem ad æternam dulcedinem peruenire mereamur. Data III. Nonas Ianuarij, Anno Domini Leonis Papæ IX. Indictione sexta.

## CAPVT XVIII.

*Aduentus Leonis IX. in Germaniam. Confirmantur ab eodem Ecclesiæ Bambergensis priuilegia.*



Dem quoq; Præsul Apostolicus, inuitante HEINRICO Imperatore, Theutonicas partes adiens Ratisponam venit, sanctumq; VVolfgangû eiusdem Urbis Episcopum de tumulo leuauit; inde Babenberc cum ipso Imperatore transiens, priuilegia eiusdem loci à Cancellario suo Friderico, qui sibi postea successit, perspici & coram Imperatore populoq; pronunciarî mandauit, & sua auctoritate illa confirmauit. Cuius nimirum confirmationis descriptio in hunc modum se habet.

LEO Episcopus, seruus seruorum DEI Hartuico Babenbergensis Episcopo, sibiq; Cannonicè in Sede Episcopatus successuris in perpetuum, æternam in Domino salutem. Cum exigente cura pastorali totius sanctæ Ecclesiæ DEI, nobis DEI prouidentia commissæ, in partes Germaniæ venissemus, quæ Orientali Franciæ adiacent, prece dilectissimi filij nostri HEINRICI secundi, Imperatoris, & tertij Regis, ac supra fari dilectissimi confratri nostri Episcopi Hartuici Babenberc venimus, & in die natalis beati Lucæ Euangelistæ inter Missarum solennia cum Verbum DEI haberemus ad populum, præsentem nominato charissimo filio HEINRICO, & Episcopis quàm plurimis astantibus, etiam laicis, & diuersis potestatibus seculi, relecta sunt prædecessorum nostrorum priuilegia, quibus idem locus fundatus & corroboratus est, auctoritate Romana sanctæ Sedis Apostolicæ; relecta est

*Leo IX. Bambergæ concionatur ad populum.*

ibi



ibi & conscriptio, & confirmatio VVirzeburgensis HEINRICI Episcopi, qua prædictam Babenbergensem Ecclesiam banno Episcopali, & Episcopij termino, accepta placita commutatione firmavit; quæ sic acta est.

Dum HEINRICVS in Imperio primus, in regno secundus, diuini ignis amore succensus, de prædiis, qua DEI gratia, hereditario iure in sua possessionis dominium peruenerant, DEI seruitium augere construendo Episcopatum, atq; ordinando desideraret, quod id legitime, rationabiliterq; fieri potuisset, HEINRICVM venerabilem VVirzeburgensis Ecclesiæ prouisorum, quatenus prædictum locum Babenberg nuncupatum, cum pago Ratenzgaue qui dicitur, qui ad suæ dioceseos statum pertinere videbatur, de suo iure in eius ius, ad id perficiendum, transfunderet, studiosè cepit flagitare. Qui, quoniam iustæ, & rationabiles causæ videbantur, eiusdem inuictissimi Regis petitionibus acquiescens, cum communi cleri sui atq; militum, nec non totius populi consilio & consensu, præfatum locum cum prædicto pago, tribus parochianis Ecclesiis cum suis adiacentis, exceptis, quarum nomina sunt hæc; VVachenrode, Ionerstat, Mülbusen, omni postmodum remota contradictione, suæ potestati tradidit. Alterius autem pagi, qui Volc velt nominatur, in quo præfatus locus situs est, partem eidem Regi cæcessit, quantum est de Babenberg vsq; ad flumen VVraha, de VVraha in Katzenz am flumen, & sic iuxta decursum eiusdem fluminis in Moin, & inde ad riuulum VVichibach, deinde ad caput eiusdem riuuli, sicq; qua citissimè, ac proximè perueniri potest ad VVraha. Et vt hæc traditio firma, & inconuulsa permaneret, ipse prædictus Præsul HEINRICVS cum Canonicis suis corroborauit, & subscripsit.

Qua subscriptione relecta, cum iuxta votum omnium; (quia semper iustis operibus fauorem debemus) & nos prædictum venerabilem locum Apostolica auctoritate vellemus corroborare, ipse prænominatus eiusdem loci Episcopus Hartuicus proclamationem suam fecit; quia locus suus à Clericis Adalberonis VVirzeburgensis Episcopi temeraria præsumptione inuasus esset. Quod nos, quia (vtrig; Apogr. Bamb.) Episcopi præsentis aderant, inter quos causa stabat, ibidem volentes discutere, Adalberoni Episcopo, à quo iniuria illata erat, deliberationem fecimus, vt obiectionem hanc, si posset, refelleret; si non; iustitiæ satisfaceret. Tum ille, inuito cum suis omnibus, qui aderant, Clericis & Laicis consilio, regrediens ad ambonem, de illata iniuria se cum satisfactione excusauit, & de omnibus, quæ ad bannum, & Episcopalem iustitiam, & potestatem Babenbergensis Ecclesiæ Christi pertinerent,



ex tunc & deinceps renunciauit, exceptis his causis, quas de bonis vtriusque Episcopi ipsi inter se Episcopi possent legaliter desinire.

Verum nos, sicut semper de profectu gaudemus fidelium, & iustis operibus debemus augmentum, eundem Babenberc locum ab antecessoribus nostris corroboratum, Apostolica auctoritate viua voce corroborauimus; & eandem corroboracionem nunc etiam literis signauimus, vt eundem locum, & omnia, quae ibidem DEO, sanctoque Petro à felicis memoriae HEINRICO secundo rege, & primo Imperatore tradita sunt, & quae in posterum iure acquiri possunt, vel iuste acquisita sunt, praedia, mancipia, aurum, argentum, pallia, vasa, ornamenta, & alia utensilia nemo audeat in perpetuum surripere, auferre, aut commutare, nisi ad vtilitatem eiusdem Ecclesiae. Sed Episcopus eiusdem loci, vel qui in perpetuum eiusdem fuerint successores, secunda eas possideant tranquillitate, ac liberam habeant potestatem, aut dominationem omnes res & proprietates eius loci ordinare atque componere vel augmentare: Dissipare vero atque confundere, nullam habeant inde potestatem aut dominationem.

Insuper pro nostra auctoritate sancimus, vt in terminis eiusdem Ecclesiae nulla sit infestatio tyrannorum, vel aliorum quorumlibet hominum prauorum, siue sint in ciuitate ipsa Babenberc, siue in castellis, villis, seruis, ancillis, tributariis, decimis, forestis, siluis, venationibus, piscationibus, molendinis, campis, pratis, pascuis, agris cultis & incultis, aut quidquid modò illuc pertinet, aut in futurum iuste acquiri poterit, per nostram Apostolicam auctoritatem priuilegium corroboratum, in secura permaneat quiete. Nullus ibi Comes aut Iudex, placitum seu districtionem aliquam facere, vel tenere audeat, nisi quam per concessionem gloriosissimi Imperatoris secundi HEINRICI, vel successorum eius, Episcopus eiusdem loci deliberauerit; nulla in aliqua dignitate posita magna paruaque persona per violentiam irruat. Sit ille Episcopatus liber Romano tantum Mundeburdio subditus: quatenus Episcopus liberius & delectabilius cum Clericis suis seruitio DEI posset insistere, & HEINRICI primi Imperatoris, eiusdem loci venerabilis fundatoris, nostrique, ac successorum nostrorum, HEINRICI quoque, charissimi filij nostri, secundi Imperatoris, atque omnium, quibus debitores sunt, memoriam iugiter habere. Sed tamen idem Episcopus suo Metropolitanò Episcopo Moguntino in Canonici causis tantummodò sit subiectus, & obediens.

Deliberatis igitur, sancitis, ac corroboratis omnibus supra dictis rebus, eidem sancto loco placuit addendum insigne honoris Ecclesiastici à nostra  
Apostolica



Apostolica auctoritate; ducti amore, & reuerentia Clementis, pie memorie, \* *Dispositionis.*  
 predecessoris nostri, quem DEVS miro \* dispensationis ordine, à prelatione  
 huius loci ad sancta Romanæ, Catholica & Apostolica Ecclesia apicem di-  
 gnatus est auertere, & mirabilis è Romanis finibus defunctum corpus eius  
 reducere: volens hanc Ecclesiam, vt aestimamus, quasi nouam, tanto decora-  
 tam esse patrono, & Romanam contentam, & sufficienter preteritis & fu-  
 turis patribus manere ornata: quin etiam amore, & desiderio fratrum,  
 qui nos in suis recipere Ecclesiasticis stipendiis & quoridianis, vnum nostra  
 \* *Nostra Vice.*  
 \* vicissitudine regere fratrem, mitras gestare conce dimus licentiam, ea scilicet  
 ratione, vt ab Episcopo prouideantur digniores, & honestiores presbyte-  
 ri, & diaconi, qui bonis moribus, vel maturis etatibus, vel etiam prelatio-  
 nibus ipsius loci emineant, his videlicet diebus; in Natali Domini & salua-  
 toris nostri IESU Christi, & in cena Domini, & in Sabbatho sancto, & in  
 die gloriose resurrectionis eiusdem, & sancta Pentecoste, & in die S. Georgij,  
 & in die S. S. Petri & Pauli, & assumptionis beatissima MARIÆ, &  
 S. Dionysii, pro reuerentia nostri prelibati predecessoris Domni Clementis  
 Papa, cuius anniuersarius dies tunc ab eisdem fratribus agitur: & in anni-  
 uersario die Domni HENRICI Imperatoris, eiusdem loci venerabilis  
 constructoris. His verò concedimus hanc dignitatem, qui tantum specialiter  
 excubant, vel deseruiunt apud predicti predecessoris nostri sepulchrum.  
 Contentos tamen his sancimus diebus fore, nec vltra à quoquam tenerè v-  
 surpari, ne honor proprius Apostolicæ Sedis vilescat.

Hec verò omnia supra dicta obseruari, & custodiri in perpetuum no-  
 stra Apostolica auctoritate decernimus, confirmamus, & roboramus. Qui  
 verò, quod absit, huius nostri priuilegij temerarius transgressor extiterit,  
 DEI & beatissima MARIÆ, & beatorum Petri & Pauli, omniumq; \* *Et nostra*  
 sanctorum \* eterna maledictione maledicatur, & perpetui anathematis *Apogr. Bamb.*  
 vinculis innodetur, nisi digna satisfactione respuerit, & Canonice satisfac-  
 cerit. Qui verò pio corde huius obseruator priuilegij extiterit, DEI omni-  
 potentis & almæ MARIÆ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli bene-  
 dictione ditatus, eterni regni particeps fieri mereatur. Data per manus Fri-  
 derici Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij Sanctæ Romanæ Catholica &  
 Apostolicæ Ecclesiæ, Anno Dominicæ Incarnationis M. L. I. Anno  
 vero Pontificatus Domni Leonis noni

Papa IV.

D 3

CAPVT



Henrici Imp. II. Regis III. Constitutio, qua  
Ecclesia Bambergensis priuilegia  
confirmantur.

\* Salici, cuius  
Viram, qua nu-  
per prodit, co-  
scripsit VVipo.  
\* Erat hic an-  
nus Domini  
1039. Quo Cōra-  
dus Imp. obiit.  
Vide Baron.



Ecce minus ipse Rex præfatus Henricus III. \* Chū-  
radi Imperatoris filius, dudum, Patre viuentē,  
Rex constitutus, ordinationis suæ anno XII. Re-  
gni autem \* primo, ad confirmandum Babenber-  
genſe Episcopii, priuilegium, quod subiunctum est, scribi ius-  
sit, superſtite adhuc Eberhardo primo eiusdē Sedis Episcopo.

HEINRICVS, DEI fauente clementia, Rex. In examine DEI  
cuncta conſpicientis æquale meritum credimus fore, dantis & corroboran-  
tis. Credimus etiam ad regalem noſtram maiestatem pertinere totius regni  
curas, præcipueq; omnium sanctarum DEI Ecclesiarum commoda conſide-  
rare, & omnia eū aduerſantia sub omni feſtinatione abotere, ne, vel graui  
incommoditate vileſcant, vel qualibet, pro noſtra culpa, orta occasione, à  
p̄ſtino cultu & religione recedant: quatenus dum hæc pro amore, pariterq;  
timore DEI fideliter peragimus, illorum, qui hæc pio affectu, DEO contu-  
lerunt, meritū & gloria communicemus.

Proinde, omnibus in Christo fidelibus ſcilicet tam futuris, quàm  
preſentibus notum eſſe volumus, qualiter ob hanc ſpem per interuentum  
dilectiſimæ matris noſtræ Giſlæ, Imperatricis Auguſtæ, pro amore etiam  
dilecti, fidelisq; noſtri Eberhardi, primi sanctæ Babenbergenſis Eccleſiæ Epi-  
ſcopi, eundem locum à Diuo Imperatore HEINRICO ſecundo, pro ſua  
ſuorumq; anima in Episcopatum, diuina inſpirante clementia, perfectæ fidei  
charitatiq; deuotione, in honore Principis Apoſtolorum Petri, & S. Georgii  
Martyris ſublimatum, conſenſu fidelium noſtrorum ſancimus, & omni con-  
tradictione remota, regali noſtræ maiestatis auctoritate corroboramus, om-  
nes etiam res mobiles & immobiles eiuseidem sanctæ DEI Eccleſiæ, quas  
ipſe Diuus Imperator pro ardore caeleſti patriæ ibidem layca manu contu-  
lit, ea ratione confirmamus, vt fidelis noſter Eberhardus, eiuseidem loci primus  
Episcopus, eiuseq; in perpetuum ſucceſſores ſecura eas tranquillitate poſi-  
deant, & liberam poteſtatem habeant, & res, & proprietates eiuseidem Ec-

\* Commutare, cleſiæ cum conſenſu clerici & populi ordinare, componere, \* & augmentare.  
Apogr. Bamb. Noſtra



Noftra quoq; auctoritate sancimus, vt in Abbatii, monafteriis, comitatibus, foris, mercatibus, monetis, nauis, telonis, caftellis, villis, vicis, arcibus, feruis, ancillis, tributariis, decimis foreftibus, filuis, venationibus, pifcationibus, molendinis, aquis, aquarumve decurfibus, campis, pratis, pifcinis, terris cultis & incultis, libris, argento & auro gemmis, vafis, ornamentis, vel aliquibus vtensilibus in cultum & religionem DEI ibidem collatis, & in omnibus terminis, rebusq; eiusdem Ecclefie, aut quidquid ad praefens illuc pertinet, vel ex his amplificari poteft: nulla fit infeftatio tyrannorum, nulla potestas irruat ibi per violentiam; nullus ibi Comes, aut Iudex legem facere praefumat, praeter Epifcopum eiusdem loci, omnisq; possessio DEO famulantium ibi pro \* emunitate habeatur. Sit ille Epifcopatus liber, & ab omni extranea, & iniqua securus potestate: quatenus ibidem DEO famulantes, & primi

\* Emunitas, aliquando emunitat, & mundat ab immunitate corrupta voce.

conftitutoris memoriam digne celebrare, nosq; fautores & corroboratores poffint & velint DEO precibus fuis commendare. Et vt haec noftra auctoritatis traditio firma & inconuulfa permaneat, hoc priuilegium inde conftitutum manu propria corroborantes figilli noftri impreffione iuffimus infigniri.

Haec nos de fundatione, vel confirmatione fanctae Babenbergensis Ecclefie, accepta occasione, dixiffe fufficiant, nunc ad ceptam narrationem de gestis beati viri animum, ftylumq; vertamus.

## CAPVT XX.

*Maleuolentia & inuidia Brunonis fratris in S. Henricum.*

**R**Egis autem frater erat \* Bruno, Auguftensis Sedis Epifcopus, qui felicibus fratris actibus inuidens, multas ei aduerfitatum iniurias, in quantum potuit, inferabat: & vbi per fe non poterat, inferentibus fe adiungebat, vel alios ad inferendas exhortando ftimulos eis prauae incitationis subdebat. Cui frater non solum talionem non reddidit, verum etiam inftitutus fraterna dilectione, omnia difsimulando, & patienter fuffinendo, illum in bono vincere fatagebat.

\* Bruno frater S. Henrici. Epif. Auguftanus de cuius cum fratre similitudine Dism. lib. 5. & 6. Patientia Henrici in iniuria toleranda.

## CAPVT



*Liberalitas S. Henrici. Eiusdem Zelotypia.  
S. Cunegundis innocentiam suam  
probat.*

*Solus Deus  
hæres S. Hen-  
rici.*



Vanta eius munificentia, quanta erga DEVM liberalitas exstiterit, tam in illa Babenbergensi Ecclesia, quam in aliis compluribus locis, manifestis operum declaratur iudiciis. SOLVM quippe DEVM sibi elegit hæredem, quatenus & ipse in consortium æternæ hæreditatis eum assumere dignaretur. Liberos etenim secundum carnem nec habebat, nec exspectabat. quandoquidem eam, quam pro coniuge habere videbatur, Chunegundam, nunquam cognouisse comprobatur. Qualiter autem innotuerit, ad communem ædificationem, prætereundum non est, vt & castimoniam erudiamur exemplis, & diuinorum secretorum admiratione moueamur, intelligentes, quemadmodum *diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*. Tantis namq; ac talibus bonis tentatio deesse non potuit.

*Rom. 8.*

Inuidus enim omnium bonorum diabolus, vbi torum immaculatum sauciare non potuit, Zelotypiæ liuore scdare cogitauit, & eius saltem famam lædere, cui vulnus corruptionis infligere non potuit. Facta est igitur, auctore diabolo, suspecta criminis ea quæ non nouerat maculam corruptionis. Sed quia *crudelis est, qui famam negligit*; expurgationis gratia, ad vomeres candentes illud sibi iudicium delegit, quod propter duritiam hominum institutum esse cognoscitur. Cumq; dilecta DEO ad illud iudicium, velut ovis ad occisionem duceretur, ingemuit; & ait; *Domine DEVS creator cæli & terræ, qui probas renes & corda, iudica iudicium meum, & eripe me. Te enim testem & iudicem hodie inuoco, quia nec hunc præsentem HEINRICVM nec alterum quenquam virum carnali commistione vnquam cognoui*. Hoc dicto, stupentibus, ac flentibus vniuersis, qui aderant, vomeres candentes, nudo vestigio calcavit, & sine adustionis molestia, securâ pertransiit. Ita DEVS omnipotens vinculum castæ dilectionis

*Prou. II.*

*De probatione  
per ferrum  
candens, & vomeres  
ignitos  
lege Delrium  
lib. 4. Disquisit.  
Mag. cap. 4. q. 4.  
Sect. 3.*



tionis seruauit, innocenciam comprobauit, & integritati custodia humilitatis adhibuit.

## CAPVT XXI.

*S. Henricus Imp. Apuliam recuperat. Beneuentanum Monasterium adificat. In monte Casino à calculi tormentis liberatur, ope S. Benedicti.*

**N**ter hæc beatissimi Principis gloria magis ac magis proficiebat, & gratia DEI erat cum ipso: Non declinauit clypeus eius à bello, & hasta eius non est auersa. Apuliam à Grecis diu possessam, Romano Imperio recuperauit, & eidem prouinciæ Ismaëlem Ducem prefecit. Qui postea in Babenbergensi loco mortuus, & in capitulo maioris monasterij sepultus requiescit in Domino.

Beneuentanum monasterium condidit, & omni ornatus decore locupletauit. Cumq; ciuitates Apuliæ pertransiret, & quæ ad utilitatem & honorem Regni pertinebant, in eis prudentissimè disposuisset, cœpit in infirmitate calculi laborare. Cuius morbi molestiam vir sanctus tanta patientia sustinuit, ut passionem carnis ad custodiam humilitatis à Deo sibi collatas assereret: & flagellum correptionis certissimum signum dilectionis esse affirmaret. Fomenta tamen curationum fecit sibi adhiberi; sed nulla medicorum subtilitate ad integrum potuit liberari. Ingrauescente autem dolore, ascendit montem Casinum, petiturus, ut per intercessionem B. Benedicti, & sanctæ Scholasticæ, sanitatis ei à Deo præstaretur remedium. Veniens autem ad locum, ubi sanctorum reliquiæ fuerant reconditæ, effudit animam suam in conspectu altissimi, & per sanctorum suffragia Benedicti uidelicet & S. Scholasticæ, precibus & lacrymis postulauit à DEO salutem corporis & animæ sibi præstari. Impletumq; est, quod per Prophetam dicitur;

E

Exquisiui dicit.

2. Reg. 1.  
Henricus Imp.  
Apuliam domat.  
Ismael Dux  
Apulia Bam-  
berga moritur.

Imp. Henricus  
calculo grauis-  
simè affligitur.  
Lege Leonem  
Ostiensem li. 2.  
Chron. Casin.  
cap. 42. & 43.  
qui rem paulè  
aliter narrat,  
praesertim de  
calculi exem-  
ptione.  
Montem Casi-  
num adit, ut à  
calculo libe-  
retur.  
Preces fundit  
coram Reli-  
quiis S. Bene-



*Psalm. 33.*

Exquisiui Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Nam petiit, & exauditus est: pulsavit ad ostium perfeueranter miserantis potentia; & intròmissus est.

*Luc. 11.*

Interea Rex coepit cogitare, quæ de translatione S. Benedicti audierat; & quia Reliquiæ eius dicebantur furtim sublata, & in alium locum translata, ideo vir sanctus de corporali eius præsentia dubitabat. Completa itaq; oratione homo Dei, ad hospitium se contulit, & lassatus ac debilitatus in lectulo se collocavit. In quo obdormiens vidit S. Benedictum sibi assistere, & ferrum sectoriũ ad medicinales sectiones aptum manu tenere. Qui dixit ei: Quia sperasti in DEO, & in sanctis eius, ecce misus sum à DEO, vt per meam medicinam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego, cuius ossa furtim sublata esse putabas presentiam meam tibi exhibeo, & in argumentum veritatis passionis tuas curabo.

*S. Benedictus  
apparet Hen-  
rico Imp.*

*\* Aptatum.  
Eundem à cal-  
culo mirabili-  
ter liberat.*

Hæc dicens, partem illam corporis, vbi calculus iacebat, medicinali ferro, quod manu tenebat, aperuit, & euulso molliter calculo, hiatum vulneris subita sanitate redintegrait, calculumq; quem tulerat, in manu regis dormientis reposuit. Quo facto, Christianissimus Imperator euigilauit, & pertrañans secum, quæ circa ipsum per Confessorem Christi gesta fuerant, vidensq; calculum, quem manu tenebat, vocavit satellites, qui regio more sibi semper assistebant, dixitq; ad eos: Pontifices, regniq; nostri Principes vocate ad me; vt cognoscant & videant mirabilia Dei, quæ ineffabilis misericordia, & inenarrabilis potentia eius fecerunt in me. At illi mandata Regis celeri cursu perferentes ad Principes, perduxerunt eos ad Regem. Quos Rex salutans, resalutatusq; ab eis, sic allocutus eos est: Fratres, & commilitones mei, magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in id ipsum, quia ipse est magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Ipse percutit, & medetur flagellat peccatores, & penitentibus miseretur. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus misto. En ego, qui heri morti proximus fui, per misericordiam DEI hodie vobis appareo sanus: & aculeum mortis, quem heri gestaui inclusum corpori meo, hodie oculis vestris visibiliter ostendo.

*Oratio Imp. ad  
Principes.*

*Psalm. 33.**Psalm. 144.**Psalm. 74.*

Hæc dicens, ostendit calculum, quem manu tenebat, & ostendit.



ostendens cicatricem vulneris, omnia, quæ per sanctum Benedictum circa ipsum gesta erant, cunctis audientibus, ex ordine referebat. At illi videntes & audientes mirabilia DEI, & plus, quàm credi potest, admirati sunt; & benedicentes DEO, diuq; in laudem eius acclamantes de incolumitate regis gauisi sunt. Rursumq; Rex ad eos, *Quas, inquit gratiarum actiones, aut quæ muneratantis beneficiis condigna medico nostro Benedicto possumus rependere?* At illi omnes iudicauerunt, eum regia munificentia dignum esse. Rex ergo ex consilio Principum suorum ingenita munera in prædiis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis Ecclesiæ S. Benedicti contulit. Et valefaciens fratribus, qui eidem Ecclesiæ præsidebant, à Casino monte hilaris, & sanus discessit. Ab eo autem tempore, & deinceps, quadam speciali dilectione, & veneratione S. Benedicto, & omnibus monasticæ religionis cultoribus studuit deservire, & in amplificandis, ac protegendis rebus Ecclesiasticis benignus ac deuotus Pater existere. Hæc in Casino monte scripta inueniuntur, vt & moderni magnalia DEI in memoria habeant, & apud posteros per antiquitatem temporis in obliuionem non veniant.

*Calculus exemplum ostendit Principis.*

*Imp. donis honorat S. Benedictum: quæ Leo Ostiensis specialim enumerat. Lege Baron. 1022.*

## CAPVT XXIII.

*Aduentus S. Henrici Imperatoris Romam.  
Inuitatur Benedictus Papa in  
Germaniam.*

**I**nde iter faciens Romam peruenit, vbi à Benedicto Papa benignè, & honorificè susceptus, quantas miserationes & beneficia per S. Benedictum ei Dominus contulerit, indicauit. Benedictus verò Papa gratias egit DEO pro omnibus beneficiis suis, & pro salute Regis, & totius populi Catholici obtulit sacrificiū laudis.

Eodem tempore, sicut supra dictum est, Rex sanctus Babenbergensem fundum cum omnibus pertinentiis suis beato PETRO contradidit & Apostolico Præsuli extunc & semper



\* Zeltes.

*Hoc prius factum est, nempe Anno 1019. Et ex Hermanno, Lamberto, & Mariano tradit Baron. Sigebertus ponit aduentum Benedicti Papa VIII. in German. An. 1020. Leze Bar. 1019.*

*Aduentus Benedicti VIII. Papa Bambergam.*

defendendum commendauit, & in commemorationem huius pacationis, singulis annis album \* ambulatorem cum phaleris Romano Præsuli dari constituit.

Hoc quoque humilitate & deuotione apud Dominum Papam obtinuit, ut ad Alemanniam accederet, & Babenberg fundum, nouam plantationem, uisitare. Quod & ita factum est. Nam in proximo Aprili Alemanniam intrauit, omnibusque ciuitatibus illius regionis peragratis, tempore, quo condixerat, Babenberg locum adire disposuit. Venit ergo V. feria Maioris Hebdomadæ, hora sexta, sacris Pontificalibus vestimentis indutus, sicut iam ad peragenda mysteria DEI, ac solenne illius diei officium processurus erat: & suscipitur gloriosissime ab Imperatore, atque vniuersis, qui aderant, Principibus, omnique clero, & populo; inæstimabili exultationis tripudio. Ut autem in aduentu tam insoliti, tamque exoptati hospitis DEO nostro iocunda, decoraque laudatio exhiberetur, prudentissimus Regum quatuor in occursum eius choros psallentium decenter ordinauit. Primum, in fluminis ripa: alium, in citeriori: tertium, ante portam ciuitatis: quartum, in atrio Ecclesiæ; ubi primus omnium Rex ipse, data manu, Papam in domum Domini introducens, diuinis hinc inde hymnis canora suauitate resonantibus, in Episcopali cathedra locauit. Debitum huius sacratissimæ diei officium cum duodenis Episcopis cooperatoribus Apostolicus Pontifex similiter & aliorum dierum sequentium summa deuotione celebrauit.

In sancta autem Dominica Paschæ cum in matutinali officio Aquileiensis Patriarcha lectionem primam, Archiepiscopus autem Rauennas secundam; ipseque Apostolicus recitaret tertiam; omni denique ornatu, & elegantia processions solennia agerentur, veluti condecuit Apostolicam dignitatem, Imperialemque magnificentiam in sancta solennitate solennitatum, quis non iudicet tam religiosam, nostrisque inuitatam in regionibus celebritatem, meritò in notitia omnium Babergensis Ecclesiæ filiorum perpetuò haberi, & memoriale eius in seculum non derelinqui?

Sub eisdem diebus Basilicam in honore S. Stephani VIII. Kalen.



Kal. Maij idem venerabilis Papa consecrans, preciosis muneribus, quæ adhuc ibi seruantur, adornauit: vbi inter Missarum solennia, cooperatione LXXII. Episcoporum, & vnanimi consensu Principum, Episcopatum ab omni seculari potestate liberum esse constituit, & cuncta, quæ Pontificali dignitati, & vtilitati congruerent, præsentia suæ auctoritate, & priuilegij sui attestatone, banniq; firmitate roborauit. Cuius priuilegij confirmatio talis est.

## CAPVT XXIV.

## Confirmatio priuilegiorum Ecclesie Bambergensis à Benedicto Pontifice.

**B**ENEDICTVS seruus seruorum DEI dilectissimo sibi in Christo semper, Domino, & serenissimo Regi HEINRICO à DEO coronato, suoq; spiritali filio, Eberhardo quoq; confratri, & Episcopo suo, sancta videlicet Babenbergensis Ecclesie venerabili Episcopo aternam in Domino salutem, & Apostolicam benedictionem.

Inter omnia, quæ diuinae prouidentiae consilio disponuntur; ad laudem respicit creatoris, quod & à summis viris, Deoq; deuotis, intuitu pietatis & spe aternæ retributionis venerabilia loca eorum sumptibus sublimantur, rectissimeq; ordinantur, possessionum suarum beneficiis cumulantur; & in meliorem statum, Christo auxiliante, commutantur. Vnde, dilectissime filii, in omnibus quæ te ad laudem & gloriam redemptoris nostri deuotè, & misericorditer fecisse, manifestum est, nihil perfectius, nihilq; melius ad promerendum regnum cælorum agere potuisti; quàm quod illum tibi fecisti heredem, à quo accepturus es aternam hereditatem: quodq; sancta Babenbergensis Ecclesia ad Episcopalis dignitatis fastigium per te sublimata; illic tibi beatissimam DEI genitricem, semperq; Virginem MARIAM, beatissimosq; Apostolos Petrum & Paulum, vnà cum sanctis martyribus Kiliano & Georgio elegisti in patrociniū. Qui, Christo propitio, compensata vicissitudine, adipiscendi regni cælestis perpetuum præstabunt auxilium.

Pro tanto igitur DEO, eiusq; sancti collato seruitio, in primis ipsi gratias, debitæq; laudes referimus; qui tibi tam sanctum opus faciendum inspirauit, & vt id votum tuum perficeres, largisua pietate adiunare disposuit.

Data est hac  
Bulla Anno  
primo Benedi-  
cti, qui erat  
Christi annus  
1012. Et habe-  
tur in calce  
Bulle. Henricū  
vocat Regem,  
quia ante co-  
ronationem  
Imperialem  
scripta est; nec  
Bamberga; sed  
in Italia.



\* quoniam.

Deinde, \* quomodo sancta Romana Ecclesia, quae bene fundata est supra firmam Petram, hoc semper vere charitatis habuit indicium, ut de exteriorum gauderet Ecclesiarum prouectu: competit nostro Apostolico moderamini, ut nos, qui eidem, DEO auctore, deseruimus, sancto tuo studio plenissime congaudeamus, sperantes tui operis habere portionem: si, quod tuum est, per laborem; nostrum facimus per charitatem.

\* Sergius Papa IV. Nullum tamē huius Pontificis diploma in hac historia recitatur.

Quapropter, quoniam petisti à nobis vnà cum confratre nostro Eberhardo, eiusdem sanctae Babenbergensis Ecclesiae DEO digno Episcopo, ut omnia, quae priuilegiorum auctoritate sibi, suaq; Ecclesiae à praedecessoribus nostris, videlicet Domino Ioanne & Sergio summis Pontificibus collata sunt, nostra quoq; auctoritate priuilegio confirmaremus, considerantes nos quidem vestra deuotionis affectum, pièq; voluntatis propositum, libentissime petitionibus vestris assensum praeberere decernimus.

Quocirca statuentes, atq; promulgantes coram DEO, & terribili futuro eius examine, per huius nostri Apostolici priuilegij seriem, & constitutionem, sancimus, & beatæ DEI genitricis, semperq; Virginis MARIAE, nec non & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sanctorumq; martyrum Kiliani, & Georgij, ceterorumq; omnium sanctorum auctoritate, in quorum nomine praenominata Ecclesia dedicata est, decernimus, atq; obtestamur, tam Apostolicæ sedis Pontifices, quam qui Ecclesiasticas administrauerunt actiones, cunctosq; Christianitatis titulo insignitos, ut nullus habeat licentiam de his omnibus, quae eidem Ecclesiae à praedecessoribus nostris per priuilegia concessa sunt, vel à nobis data, vel danda sunt: aut ab aliquibus fidelibus viris ac mulieribus praefata Ecclesia tradita sunt vel in futuris temporibus contradentur, tam in familiis, quam in terris, seu in aliquibus possessionibus, conuellendi, destruendi, molestandi, vel alienandi. Si quis verò, quod non credimus, temerario ausu, contra ea, quae hac nostra stabili, & inconuulsa firmitate, piè & fideliter per hoc nostrum priuilegium disposita sunt, contraire tentauerit, & hac, quae à nobis ad laudem DEI pro stabilitate praescriptae Ecclesiae statuta sunt, refragari, aut in quoquam transgredi; sciat se auctoritate beati PETRI Principis Apostolorum omnium, nostraeque, cuius immeriti vicem agimus, anathematis vinculis innodatam, & cum diabolo, eiusq; atrocissimis pompis, atq; cum Iuda traditore, Domini nostri IESU CHRISTI aeterni incendij supplicio concremandum, nisi resipuerit, & eidem Ecclesiae digna emenda-



emendatione satisfecerit. At verò qui deuota intentione obseruator in omnibus exstiterit; huius nostri Apostolici priuilegij ad cultum DEI respicienti, benedictionis gratiam à misericordissimo DEO, & Domino multipliciter consequatur, & vite æternæ particeps effici mereatur. Sancta Trinitas charitatem vestram illibatam custodiat dilectissime frater. Scriptum per manum \* Herhardi scriniarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ in mense Iunio \* Indiæ. XI. Datum XII. Kalend. Februarij per manum \* Benedicti Portuensis Episcopi, & Bibliothecarij sanctæ Romanæ Ecclesiæ, anno, DEO propitio, Pontificatus Domini nostri Benedicti summi Pontificis, & vniuersalis octauæ Papæ primo, in mense supradiçto.

\* Apogr. Bamb. Heberhadi. Cod. Vien. Berardi.

\* Baron. signat Annum primum Benedicti Indictione X.

\* Huius Benedicti mentione ex vetusto diplomate inueniet apud Bar. 1012. N. 5. Sibi etiam videbis exempla, quibus scriptum & datum diuersis tribuuntur.

## CAPVT XXV.

Litera Benedicti Papæ ad Eberhardum primum Ecclesiæ Bambergensis Episcopum.



BERHARDO primo quoq; Babenbergensis Ecclesiæ Episcopo idem Papa Benedictus scripsit Epistolam de confirmatione eiusdem Episcopij in hunc modum.

Benedictus Episcopus seruus seruorum DEI dilectissimo in Domino IESV Christo filio, Eberhardo sanctæ Babenbergensis Ecclesiæ venerabili Episcopo perpetuam salutem.

Quandocumq; nostræ Apostolicæ corroboracionis pie exposcitur suffragium, celeri affectu est tribuendum. Et si in his exposcitur, quæ durare perpetuò videntur, literis est etiam annotandum, ne prolixitas temporum posteris hoc reddat dubium, vel incertum. Quapropter notum esse volumus cunctis sanctæ Ecclesiæ filiis, tam presentibus, quam futuris, quod de Episcopatu, quem Christianissimus HEINRICVS Imperator ad honorem Principis Apostolorum PETRI Babenbergæ deuotissime perfecit, actum in eadem Ecclesiæ \* nobis presentibus sit. Sæpius enim obnixè dictus Imperator; \* Ergo Bulla seruens



*hac data est  
postquam Re-  
ned. C. Bam-  
berga fuerat.*

*S. Henricus  
effert Episcopa-  
tum Bamberg.  
Ecclesia Ro-  
mana.*

*Vide Leonem  
Ostien. lib. 2.  
Chron. cap. 47.*

seruens nimio amore Episcopatus, quem tactus diuino impulsu, perfecerat honorifice, ad confirmandum eum Apostolica auctoritate Babenbergam adire nos deprecatus est. Cuius deprecationes assiduas, & indefinentem instantiam de iusto desiderio procedere cognoscentes, iniquum iudicauimus, presentiam nostram illi denegare, & inde humanam calliditatem contra venerabilem locum aliquando occasionem sumere. Venimus ergo Babenbergam, vbi ab eodem Imperatore suscepti sumus, prout poterat, & nouerat melius. Ecclesiam autem cum omni integritate Episcopatus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, DEO auctore, præsidemus, & nobis obtulit. Quod videntes, æquum considerauimus seriem huius nostri priuilegij, & Episcopatum confirmare in perpetuum, eumq; tibi, dilectissime, & tuis successoribus concedere, ea videlicet ratione, hoc ordine, vt nullus vnquam viuentium, cuiuscunq; sit dignitatis vel ordinis, contra hanc nostram confirmationem Episcopatus venire audeat, vel contra te, tuosq; successores ob hoc agere; neq; liceat ei de omnibus, quæ nunc habet, vel habiturus est prælibatus Episcopatus, vi, fraude, aut iniqua calliditate aliquid abradere; vel te, tuosq; successores de his omnibus inquietare aliquo modo, ita sanè, vt singulis quibusq; Indictionibus, sub nomine personis, equum vnum album nobis, nostrisq; successoribus persoluat, cum sella conueniente Romano Pontifici.

Si sortè, quod non optamus, aliquis superbus, aut arrogans temerario ausu contra hanc nostræ præceptionis seriem piè à nobis promulgatam venire, aut agere tentauerit, sciat se Domini nostri IESU Christi, & Apostolorum Principis Petri, cui oblati à dicto Imperatore Episcopatus est, cum suis pertinentis, & cuius suffragium, & iudicium per nos, nostrosq; successores expectat, anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo, & cum eius atrocissimis pompis, atq; cum Iuda traditore Domini & Saluatoris nostri æterno igne concremandum. Qui verò pio intuitu curator & obseruator huius nostræ salutiferæ præceptionis extiterit, benedictionis gratiam & cælesti retributionis gaudia à iustissimo iudice Domino consequatur.

Scriptum per manus Raphonis notarij, Regionarij  
& Scriniarij sanctæ Romanæ Ec-  
clesiæ.



*Aduentus S. Henrici Cluniacum.*

**V**T autem ad superiora redeamus, vnde paulisper digressi sumus, postquam vir sanctus Romæ positus, omnia, quæ petebat, à Domino Papa impetrauit, confirmatus Apostolica benedictione, Alpes Appenninas transcendit, & dimisso exercitu in terram suam, Cluniacum, eò quòd multa de religione & statu loci illius audiret, orationis causa cū paucis familiaribus perrexit. Vbi cum plurima signa religionis & sanctitatis vidisset, sancti spiritus igne succensus, coronam auream preciosissimis gemmis adornatam, ad missam, quæ de cathedra sancti Petri celebrabatur, obtulit, & fraternitatem monachorum suscipiens cum maxima humilitate & contritione cordis orationibus eorum se commendauit, & in supplementum necessariorum rerum in Alsatia optima prædia eidem congregationi, contradidit. Inde iter faciens per Leodium & Treuirim transitum fecit, & congregationes inibi DEO famulantes plurimis largitionibus & prædiis ditauit.

*Aduentus Henrici Imp. Cluniacum positus à Bar. 1014.*

*Imp. offert Cluniacensibus coronam auream.*

*Liberalitas Imp. in monasteria.*

## CAPVT XXVII.

*Studium S. Henrici tam in propria & aliena salute curanda, quàm in Imperij terminis amplificandis.*

**E**M mirum quòd homo DEI, qui circa Ecclesiasticas vtilitates tanto studio, ob salutem animæ suæ flagrabat; in nullo profectum regni negligebat: quin imò sine effusione sanguinis, pietate, & sapientia terminos regni sui dilatauit, & Imperialem dignitatem gloria, & honore amplificauit & ornauit. Boëmiam vicit & subiugauit: Burgundiã in deditionem recepit: Pannoniam quoq; Catholicæ fidei, & Romano Imperio coadunauit: Victor autem aliarum nationum, Apostolus fit Vngarorum.

*Quas regiones subiugauerit.*

F Cùm



\* Catholica.  
Sororem suam  
dat nuptiis  
Stephano Regi  
Hungaria. Vn-  
de Hungaris  
prima via sa-  
luta.  
I. Cor. 7.  
\* Vt ergo sancto-  
rum numero  
adscriptus.

Cum enim omnes adhuc infideles essent, HENRICVS Imperator ad fidei \* confessionem illos attraxit. Quod vt facilius fieret, sororem suam Giselam Stephano Regi matrimonio copulauit secundum Apostolum dicentem, *sanctificatur vir infidelis, per mulierem fidelem; & sanctificatur mulier infidelis, per virum fidelem.* Stephano itaq; Rege baptizato, vniuersa Pannonia verbum vitæ suscepit, & mirarum nouitate per \* Reges Apostolos sancta Catholica Ecclesia incorporata est. Quam præclara tanti Apostolatus societas; quam colenda & veneranda vtriusq; sanctitas, per quos tot saluati & sanctificati sunt. Præfatus autem Rex Vngarorum, religiosus Deoq; deuotus postea in executione bonorum operum permansit; quod diuina pietas post mortem eius euentibus indicis ad sepulcrum factis signorum miraculis demonstrauit.

Burgundiõrum quoq; non humana sed diuina fuit victoria, qui cum armis, & omnibus belli copiis essent instructi, viri ad bella doctissimi, armis positis, non hominis metu, sed DEI nutu, rogantes ea, quæ pacis sunt, dextras dederunt. Quem admodum ad celebranda beati MARTINI confessoris merita Dominus pacificum belli dedit exitum: ita & nunc serui sui meritis consimilem virtutem ostendere dignatus est. *Similem ergo illum fecit gloria sanctorum.* Et sicut Moyles precibus magis, quam armis triumphauit; ita gloriosissimus Princeps per arma iustitiæ omnia bella feliciter consummauit, ac minimè funestam, & incruentam victoriam semper habuit.

Deniq; consummatis gloriosissimè huius vitæ laboribus; postquam bonæ opinionis odorem longè lateq; redolere fecerat, locumq; sibi dilectum cum ceteris monasteriis ditando, & ornando, & excolendo ad perfectum adduxerat, ad percipiendam immarcescibilem coronam ab ergastulo carnis à Domino est vocatus. Qui cum cerneret imminere sibi mortis diem, citatis ad se parentibus & cognatis beatissimæ Imperatricis Chunegundæ, non nullis etiam Regni primoribus manu eam apprehensam illis commendauit huiusmodi verbis memoria dignis: *Hanc ecce, inquit, mibi à vobis, imò per Christum consignatam, ipsò Christo Domino nostro, & vobis resigno virginem vestram.*

CAPVT

Vxorem suam  
Kunegundem  
Virginem ve-  
stram, sicut  
acceperat.  
Resigno Apogr.  
Bamb.



Obitus S. Henrici, & visio de eius meritis in  
trutina expensis.

**N**eius verò transitu, terra plorante, cœlum exultavit, sicut Dominus per suam misericordiam reuelare dignatus est. Sub ipsa etenim hora exitus illius cuidam seruo DEI in solitudine commoranti, diabolus sub humana specie traditur apparuisse. Quem vir DEI per spiritum protinus agnouit, & ait: Quo vadis? Cui ille: ad exequias, inquit. Principis pergo. At ille respondit: Vade, inquit, & comple negotium tuum, in quantum tibi à Domino permittitur. Veruntamen consummato officio tuo, adiuratus per DEVM viuum, ad me reuertere, vt per te rei exitum cognoscam. Post modicum verò reuersus coram seruo DEI gembundus adstetit, & voce querula, & ingenti vlulatu dixit: Heu, heu delusi sumus, in vanum laborauimus, quin etiam ab Angelis DEI confusi discessimus. Assistentibus enim hinc & inde nobis, & spiritibus Angelicis, merita animæ iuste in statera appensa sunt; & fasciculis peccatorum deprimentibus, iam pœnæ pars nostra præponderauerat. Tunc subito \*ad-

us<sup>us</sup> quidam superueniens cum catino aureo, partis dextræ lancem oneravit, mirumq; in modum parti nostræ adeò præponderauit, vt & ipso catino ad terram collapso \* ruina collisionis signum impresserit. Itaq; victores Angeli animam nobis ereptam gaudentes in suum consortium abduxerunt.

Hæc verò tametsi corporaliter gesta referantur, necesse tamen est, vt virtute spiritali completa intelligantur. Res etenim spirituales per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur, aut dicitur, intus aliud geri significatur. Præmemoratus & sæpe rememorandus DEI famulus cælicem aureum in honorem DEI, & commemorationem S. LAURENTII Martyris Ecclesiæ Mersburgensi contulerat, cuius speciali patrocinio coram DEO adiutus, & in ipsa sui exitus hora creditur liberatus. Omni verò veneratione, & admiratione

*Similia leguntur, in Comptatione Chronologica.*

*\* Ita vocat S. Laurentium olim à Tyranno in craticula assatum.*

*\* Fracta videlicet ansa, & ex Crancio colligitur.*

*Quomodo, quod de statera dicitur, intelligendum sit.*



tione dignum esse perpenditur, quod eadem hora calix in certa custodia clausus habebatur, nec minus tamen prædictæ collisionis materiale signum excepit.

## CAPVT XXIX.

*Ablutio Calicis mutata in sanguinem.*

E eodem verò calice, quid religiosorum virorum relatione in veritate audierimus, futurorum memoriis intimare operæ precium dignum duximus. Cùm enim prædictus Christi Confessor HEINRICVS, pro disponendis Regni negotiis Marsipolim venisset, accidit, vt quadam die ad altare S. Laurentij attentissimè Missam audiret. Qua completa, sicut semper facere consueuerat, abluitionem calicis sumere volebat, sed interueniente magno negotio regni, quod vir sanctus proposuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato itaq; custode Ecclesiæ, rogauit eum, vt calicem cum abluitione in mundo loco reponeret, & cum omni diligentia seruaret: quoadusq; ipse exoccupatus aptum tempus & locum ad sumendam illam inueniret. Excrescentibus autem causis & placitis, tota die illa turbatus non potuit se expedire. Postera verò die, post matutinas cum paucis secretariis suis, clanculò monasterium introiuit, & diutius flexis genibus, & profusis lacrymis DEVM exorauit, accersitroque custode calicem cum abluitione sibi afferri præcepit. Cumq; allatus fuisset, & discoopertus, inuenerunt abluitionem illam in formam veri sanguinis transmutatam. Quod factum mirabile mox vniuersis, qui aderant, innotuit, & nunc, & semper in laudem DEI, & gloriam Confessoris sui omnis Ecclesia successoribus suis enarrabit.

*Mersiburgum.*

*Nota morem sancti Imperatoris; sumendi ex calice, in quo sacrificium fuerat abluitionem. Sic Græci sanctificationis loco panem, ex quo materia pro sacrificio desumpta est, manducant.*

*Vinum abluendo sacro calici infusum, mutatum in sanguinem.*

## CAPVT XXX.

*Paranesis & Epilogus.*

Discite ergò diuites huius seculi facere vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, ipsi vos in aterna recipiant tabernacula.

*Matth. 6.*

Huius



Huius verò gloriosissimi, ac beatissimi Patris præconia linguam carnis reticere non conuenit, in cuius transitu angelis triumphantibus cælum exultauit. Defuncto itaq; beatissimo DEI famulo anno Regni sui XXIV. vitæ quinquagesimo secundo, Imperij verò vndecimo, corpus eius in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli Babenbergæ honorificè sepultum est, ac postmodum multis miraculorum virtutibus à Domino glorificatum est.

## CAPVT XXXI.

*Brunonis Episcopi Augustani, qui fuit frater  
S. Henrici, de euertendo Episcopatu  
Bambergensis impia con-  
silia.*

**A**Nno Dominicæ Incarnationis M. XXV. ab Vrbe condita Millesimo, septingentesimo, septuagesimo sexto, Chunradus ex regni primoribus vnus, sed regno antea per rebellionem aduersus, Principibus pro eius electione discordantibus, Aribone autem Moguntino Archiepiscopo. & Eberhardo Babenbergensi Præsule sibi fauentibus, octogesimo quinto loco ab Augusto regnum suscepit, & annis XV. regnauit. Sublimatus autem in regni sede, consilio Brunonis Augustensis Episcopi, fratris HENRICI Imperatoris, qui semper, vt supradictum est, felicibus eius inuidebat actibus, Babenbergensem Episcopatum meditabatur destruere. Quia idem Bruno Episcopus promisit Reginæ Gislæ, omnia prædia hæreditario iure ad se pertinentia filio eius \* Henrico contradere.

Locus igitur & tempus conuentui statuitur, vbi hæc res ad exitum perducatur. Noctæ verò, quæ diem præcesserat, in qua hæc ventilanda erant, Eberhardus Episcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam accessit, lectoq; eius assidens, multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando cum eodem sollicitus egit. Quia verò iam multa

F 3

noctis

*Lege Baron.  
Anno 1024.  
Num. 12.  
Bruno frater  
S. Henrici, et-  
iam post Im-  
peratoris mor-  
tem turbas  
conciat: De  
hoc Brunone  
Wippo in Con-  
rado Salico.  
Vtilis & clarus  
ingeniosi fra-  
terni odio, quo  
Imperatori  
oberat, non  
obscuretur.  
\* Est hic Hen-  
ricus tertius  
hoc nomine  
Rex, Conradi  
Salici & Gi-  
slæ filius, Gislæ*



*laudes decan-  
tat VVippo: in  
hoc, quod hic  
recensetur,  
minimè lau-  
danda.*

*Apparet S.  
Henricus Bru-  
noni fratri suo.*

noctis hora transacta recesserat, & Episcopum pro auditis sollicitatum somnus oppresserat, visus est ei frater suus Imperator HEINRICVS lecto suo adstare, faciemq; suam barba ex vna parte depilata turpatam obiectare. Cùm super hac re stupido & admiranti, ac quis tam temerarios ausus in eum præsumeret, interroganti: tu. ait, hæc fecisti: qui me, & sanctos DEI, quos rebus mihi à DEO concessis dotavi, despoliare disposuisti. Caue iam ulterius super hac temeritate, ne incepta luas magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus, ac de visione non parum perterritus, membrorum quoq; horrore ac timore non leuiter est affectus. Mane autem factò, cum diu expectatus ad conuentum procerum non veniret, regina pro filio sollicita, nuntiis missis, obnixè rogabat, vt adueniens promissa perficeret. Ille verò affirmabat, se tanta infirmitate grauari, vt nec de lecto surgere, nec pedem posset quoquam mouere. Cum rogaretur, vt se in lecto ad conuentum deportari pateretur, quò vel sic promissio perficeretur, omninò abdicauit, seq; in DEVM & sanctos eius peccasse, libera tandem voce proclamauit. Sic itaq; diuina pietas per merita famuli sui, ne spe, quam in se posuit, fraudaretur, omnia illa prauæ conspirationis machinamenta repressit: idq; quod ab eo bene cœptum est, confirmando, semper exinde ad meliora prouexit.

## CAPVT XXXII.

*Mulier contracta ad sepulchrum S. Henrici  
sanitatem recuperat.*

*De miraculis  
S. Henrici post  
mortem.*



Ed iam nunc ad miracula, quæ post felicem illius transitum Dominus ad declaranda meritorum illius insignia, circa gloriosi corporis eius sepulturam operatus est, veniamus: pauca ex his ad posterorum notitiam transferentes; quæ aut veraci, aut indubitata maiorum relatione ad nos delata sunt, aut ipsi modernis temporibus gesta probauimus, & vidimus.

*\*Bambergensis.*

Mulier quædam contracta in ipsa \* ciuitate manebat, adeò



adeò incuruata, vt ad gradiendum erigi nullatenus potuisset, sed reptaret potius manibus, quàm pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbenti, diuinitus inspiratum est, vt ad memoriam beatissimi viri accederet, atq; omnipotentis DEI misericordiam obnixius imploraret. Accidit autem vt dies anniuersarius præfati Patris & Domini nostri congrua obseruatione celebrari deberet. Populo ergò, more solito, ad Ecclesiam confluente, & clero vigilias vespertinas celebrante, mulier quoq; illa incuruata, & contracta aduenit, & plena fide ac deuotione vsque ad locum sepulchri accessit dicens cum Propheta; *Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atris domus Domini.* Ibidem ergò pernoctans in oratione, vniuersum quod habebat, id est, *cor contritum & humilitum* Domino obtulit, & in fide Christi lacrimis rigauit pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & vnguento ungebat. Et quoniam multum valet deprecatio iusti assidua, cum indefessa vsque in diem talibus sacrificiis insisteret; circa horam diei tertiam inter ipsa Missarum solennia, dum in secunda Missa, Alleluia canitur, *Laus DEI in hominibus*, ipso operis effectu adimpletur. Subitò enim, cernentibus cunctis, qui aderat, mulier quasi in extasi facta est, ac deinde sensim nerui, qui dirigerant, dissolui, & vniuersa corporis membra concrepantia cœperunt extendi; ac sic, ordine suo tota incuruati corporis deformitas in suam pulchritudinem reformata est, vt mulier erecta, & vsum ambulandi, & reliqua membrorum officia cum omni integritate reciperet. Id autem certissima fide cognitum est, referentibus boni testimonij fratribus, qui præsentibus huic miraculo se interfuisse, & vidisse testati sunt.

Psal. 115.

Psal. 50.  
Luc. 7.

Iac. 5.



CAPVT



## De adituo furtum faciente.

Capitulum sequentium tituli ex Cod. Rebdorff: sumptis sunt.  
\* Traditione Apogr. Bamb.

\* Vide Car. lect. M. S. Bamb.

Psalm. 88.

S. Henricus apparet furacis adituo.  
Dan. 13.



Equè hoc negligendum, aut silentio prætereundum videtur, quod antiquitas tradidit, & veridica\* relatione multorum memoriæ cõmendauit. Quidam adituo in Ordine Laico ad custodiam Ecclesiæ deputatus, furtis cœpit consuescere, & in ipsa Ecclesia, quæcunq; poterat, clanculo decrustabat. Sed quemadmodum bonis DEI malè vtendo mali, ipsa bona DEI quantum in se est, quodammodò conuertunt, imò peruertunt in malum; ita è contrario summus artifex mala malorum quandoque etiam in bonum conuertit ipsorum. Vt enim ad propositum redeamus, ille prædictus Ecclesiasticæ custodiæ deputatus, cum iam inolita vitiorum consuetudine ipsam consuetudinem peccandi sibi quasi legem fecisset, misericorditer à Domino visitatus, atq; correptus est, iuxta illud; *Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.*

Noctè igitur quadam, dum in ipsa Ecclesia somnum caperet, seruus DEI aspectu terribilis illi apparuit, qui & asperè inuectus in eum dixit; *species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Quare hoc & hoc fecisti? Scito, quia rem iniquam operatus es. Hoc dicto, illum de stratu suo protraxit, & multis verberibus cæsum, cruentatum dereliquit. Hæc quidem somniàs pertulit: sed expergefactus signa plagarum euidentia demonstrauit, & verba verberum argumentis comprobauit. Taliter ab immani præcipitio retractus, idem ipse postmodum in suo ministerio vsq; ad prouectiorem ætatem in Ecclesia permanfit, & in eius correctione multi correcti sunt, glorificantes DEVM, qui per seruum suum iam coronatum in cœlis talia operatur adhuc in terris.*



## CAPVT XXXIV.

*De quodam cui mandibula dimota  
erat.*

**Q**uodam vice incerto casu cuidam accidit, vt dissociatis ab inuicem naturalibus instrumentis, mandibula loco suo dimota, & oris impediret officium, & naturalem humani decoris compositionem deformaret. Doloris, & deformitatis accedebat molestia, quam perpendere in alio commodè valebimus, si ad nostri corporis infirmitatem animo <sup>\* Recurrerimus.</sup> recurramus. Talibus circumstantiis obnixius implorauit auxilium. Vt ergò opera DEI manifestarentur in illo, multis assistentibus, & videntibus, ad tumbarum beati viri accessit, & capite super imposito, tam diu precibus institit, quo ad vsque per merita serui DEI sanitatem, quam desiderabat, accepit. Quid enim? Necessarium enim est, vt, qui Domino vniuersæ creaturæ obediunt, illis creatura omnis certis legibus rationis per omnipotentis DEI virtutem obediat.

## CAPVT XXXV.

*De paralytico.*

**T**em alio tempore contigisse in veritate audiimus, vt quidam à paralyti vsq; adeò vexaretur, vt exinde vsum brachij perdidisset: nutu diuino admonitus est, vt ad sepulturam sancti corporis accederet; & prostratus in oratione DEI omnipotentis misericordiam per beatissimi viri ibidem quiescentis merita inuocaret. Toto itaq; corpore prostratus, orationibus incubuit. Quid ergo? Christus filius DEI, qui super terram gradens manum aridam habentem sanauit, idem nunc sedens ad dexteram Patris, eodem innouato miraculo, per merita dilecti sui, supplicem istum liberauit. Sanus equidem ab oratione surrexit.



surrexit, & DEVM propitiorem in commemoratione sancti sui glorificauit. Clamor ad cœlum attollitur & cum debita gratiarum actione hymnus gloriæ omnipotenti DEO ab vniuersis assistentibus decantatur.

## CAPVT XXXVI.

## De Cæco.

*Dies rogationum, & in ijs publica processio.*

**H**oc quoque successoribus nostris indicare curauimus, quod in diebus Rogationum ad sepulcrum prædicti Confessoris contigisse veraciter cognouimus. Quidam enim sacerdos cum populo suæ procurationi commisso in diebus Rogationum crucem cum hymnis & canticis ad Monasterium scilicet sancti Petri, & S. Georgij deferebat: cum quo quidam cæcus, alterius manu ductus, veniebat. Is cum ad sepulcrum Confessoris Christi venisset, ex toto corde suo rogauit sanctum HENRICVM, vt per eius interuentum, restitueretur ei lumen oculorum. Cumque diu precibus & lacrymis pulsaret ad ostium pij Confessoris, cunctis videntibus & in laudem DEI acclamantibus, redditus est ei visus per gratiam omnipotentis. Et mirum in modum, qui alterius manu ductus Crucem Domini secutus fuerat cæcus, modò propriis manibus Crucem ferens cum laudibus Christi, populo domum redeunti ductum præbuit illuminatus.

## CAPVT XXXVII.

## De Languido.

**A**liud quoque diuinæ virtutis miraculum celebri commemoratione, & certa fide cognitum est. Erat quidam languidus ipsa in ciuitate omnibus cognitus, cuius inferiora omnia à lumbis & infra omnino præmortua fuerunt adeò vt nec pedibus solo niti valeret, sed instrumento cuidam rotulis quatuor coaptato pendulus inhærebat, suiq; corporis molem manibus propriis pro possibilitate artificis volutabat. Idem loculum sanctissimi corporis frequentius visitare solebat: & per DEI misericordiam ad







*Vltio diuina  
in Cardinalem  
sancto Henrico  
Imp detra-  
hentem.  
\*Fortè leg. à  
Deo. Et sic M.  
S. Bamb. habet.*

Sed diuina vltio detrahentē cælesti verberare repente coërcuit, & dum famam beati viri laceraret, potestas DEI lumine oculorum eum priuauit. At ille \* adeò percussus & humiliatus cæcitatē molestia, & reatus sui conscientia, cœpit torqueri; & quomodo hanc plagam in confessorē Christi peccando meruisset, publica voce confiteri, & mirū in modum, quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modò laudibus & præconiis vsq; ad sidera extollebat. Conuersus itaq; ad pœnitentiam celerem consecutus est indulgentiam, & per intercessionem Confessoris Christi denuo est illuminatus, ob cuius vltionem iusto iudicio DEI fuerat excæcatus.

## CAPVT XL

## De Cæco.



In illo modo cū in loco Babenbergensi, vbi prædictus Confessor tumulatus fuerat, de Canonizatione eius celebris fama haberetur, vir quidā religiosus de signis, quæ per eum fiebant, cœpit dubitare, & de permutatione exequiarum, quæ in anniuersario eius celebriter fiebant intra semetipsum dolere: qui mox oculorum caligine adeò est plagatus, vt postea per Confessorem Christi sanatus, quantum sanctitas eius apud DEVM posset, in curatione ipsius experiretur. Et mirandum est valdè, quod de sanctitate tanti viri aliquis dubitare potuerit, cum conuersationis sanctitatem, castitatis integritatem, eleemosynarum largitatem, humilitatis custodiam, & omnia opera iustitiæ vsq; in finem vitæ suæ cum deuotione summa seruauerit. Sed, sicut scriptum est; *nemo Prophetæ acceptus est in patria sua.* Vir ergò prædictus defectu luminis grauatus confugit ad patrocinia sanctorum, deprecans, vt per eorum suffragia sanitas sibi restituatur oculorum.

*Luc. 4.*

*\*Genuum.*

Et cum ex dolore & labore & assidua \* venarum incuruatione fatigatus fuisset, lassatum corpus somno reparauit. Cui dormienti S. VVolfgangus eò quòd eum familiarem in orationibus suis habuerit, apparuit; & ait ei. Ora Confessorem Christi

Christi



Christi HEINRICVM, & liberabit te, quia, quod eius sanctitati derogasti, idcirco hæc plaga cæcitatæ venit super te. Post hanc visionem expergefactus, ex conscientia delicti sui contremuit, & ad tumbam Christi Confessoris concito gradu, & deuota mente properauit. Et procumbens terræ, à Confessore Christi lacrymis, & precibus, suis excessibus veniam postulauit. Qui statim exauditus, & pristinæ sanitati restitutus, gratiarum actiones DEO & sancto HEINRICO retulit, & magnalia DEI, quæ circa ipsum DEVS fecerat, religiosis viris, qui nobis retulere, ipse narrauit.

Caueant igitur habitatores seculi domesticis DEI & ciuibus sanctorum detrahere. Quia, necesse est, eos hîc & in æternum perire, qui sanctorum bonis operibus solent obloqui & inuidere. Quauis ergò nunc tempora miraculorum nõ sint: *Signa enim debentur non fidelibus, sed infidelibus*: tamen cum aliqua nobis præter solitum cursum ordinemq; naturæ eueniunt, omni ueneratione amplectenda sunt: quatenus & ipse, qui in sanctis suis mirabilis est, honoretur, & tarditas nostra ad meliora quæq; tantis uirtutibus accendatur: Præstante Domino nostro IESU Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto uiuit & regnat DEVS per omnia secula seculorum, Amen.

## CAPVT XL I.

*Prooemium in miracula, quæ in translatione S. Henrici Imperatoris patrata sunt.*



Empore illo, quo venerabilis Abbas Merseburgensis Ecclesiæ Volmarus, reliquias Beati HEINRICI Confessoris Saxonice terræ inuexit, sexus vtriusq; turba, famâ diulgatâ, obuiam venit: Ex quibus quosdam recuperandæ sospitatis causa: quosdam uerò feruens studium, quod ab antiquo, circa eiusdem Regis nomen habuerant, attraxit: Eò quod terræ suæ statum frequenti paganorum incurfu quassatum, illum reformasse, priorum relatione didicerant.

*Hæc exscriptimus ex antiquis membranis Monasterij S. Crucis Donauersberga; nã in Rebdorffensi & Apographo Bambergensi non comparat.*



Observa-  
rem ponendi  
monumentum,  
in locis, ubi mi-  
racula pa-  
trata.

Sed meritorum eius præconia cœperunt in ipso itineris processu, evidentibus miraculorum indicibus declarari: in quo diuersis morborum generibus oppressi, salutem pristinae fuerint restituti, referre per singula, tœdium scribenti, & fastidium forsitan generaret legenti: Tamen hoc non silendum, quòd in plerisque curationum locis, in testimonium diuinitus ostensæ virtutis, cumuli haud grandes, vulgi studio, congesti excreuere; vt his visis posteritas illi reuerentiam exhiberet, cuius meritis tot genti suæ beneficia collata videret. Veruntamen his interim omisis, ea referenda sunt, quæ in memoria hodieq; tenentur à multis.

## CAPVT XLII.

*Adolescens ab ortu contractus, sanatur.*

\* In Sella.



Isaia 35.

Nter ægros, quorum multitudo salutem petens comitabatur, adolescens quidam irrefragabili membrorum contractu globatus à parentibus portabatur\* gestatoria. Qui, nil in via consecutus, ad Ecclesiæ limen vsque perducitur. Procedit obuiam reliquiis digno cultu chorus Monachorum ac Clericorum, non tam eius loci, quàm ex aliis Ecclesiis confluentium. Deinde, vt moris est, concentu vulgi & cleri mixtim concrepante, regreditur. Missarum quoq; solennitas ritu festiuore de ipso Beato HENRICO inchoatur. At claudus ille inter agmina constipantium vix Ecclesiæ illatus, iuxta altare, vbi reliquiæ fuerant collocatæ, deponitur. Videres in eo illud Isaia compleri; *Saliet sicut cernus claudus, & clara erit lingua mutorum.* Cœperunt enim neruorum eius vincula solui, pedes, cruraq; extendi; illeque in oculis omnium profiliens, quanto potuit vocis conamine, virtutem in se factam protestari. Sicque officium gressus, quod vsus ab ipso natiuitatis eius exordio negauerat, gratia Christi per merita Beati HENRICI reparabat. Vox in laude DEI vtriusq; sexus attollitur in altum. Sanatus ante



tus ante altare communicaturus sistitur; sicq; ad propria cum parentibus regreditur.

## CAPVT XLIII.

*Energumeni liberati.*

**D**AEMONIACI tres, vnus masculus & duæ feminae in eodem loco curati sunt: qui nomen HENRICI blasphemando ingeminantes frequenter: tandem cum stridore horrifico, sedes, quas tenerant, reliquerūt. Vnus eorum pertinacior ceteris, diu sancti nominis inuocationi renitens cum ad sereliquias deferri cognosceret; modò, cum per se HENRICVS venit, non subsistam, inquit: statimque cum clamore magno hominem possessum deferuit. Hæc ipsa die aduentus reliquiarum infra missam gesta sunt.

## CAPVT XLIV.

*Mulieris cæca visus redditus.*

**R**at in territorio Merseburgensi mulier diu cæca, quæ familiaribus gressus suos regentibus, in occursum reliquiis ultra possibilitatem, spe recuperandi visus, properabat, nihilque salutis in via se recepisse, peccatorum suorum obstaculo adscribens, triduo peruigil & indefessa prece, Christi misericordiæ ianuam pulsauit: tandemque lucis optatæ suffragium per merita Beati HENRICI obtinuit. Hæc in eadem, qua prius, villa, diu vixit: tamque clarens omni terræ illi eiusmodi miraculum fuit, vt nulli ferè, maximè horum, qui tunc temporis fuere, incognitum esse possit.



CAPVT



*Mulier clauda curatur.*

Tem inter occursantes à remotioribus terræ illius partibus, mulier quædam non solum incesu priuata; sed & totius corporis miserabili specie deformis & distorta à conuiantibus vehiculo trahatur. Quæ, de Beati HENRICI patrocinio confidens, propter ubiq; iam vulgata virtutum eius insignia, nomen illius assidua inuocatione cum oculorum, manuumq; extensione memorabat. Ideoq; quod totis animi votis quæsiuit, itinere adhuc inuenire meruit. Laxatis siquidem fibris, ac gibbi modo reflexo, totoq; corpore in habilem redintegrato formam, vocem in se virtutis ostensæ præconam fudit. Verisq; in stuporem commeanibus, vehiculum deserit, & lætantes de DEI magnalibus, lætior ipsa præcedens ad Ecclesiam venit: ac vota, quæ pro recipienda sospitate factura venerat, iam eâ potita, triduo illic morata soluebat.

\* PRACONEM.

## CAPVT XLVI.

*Mulier à continuo dentium dolore liberatur.*

Nciuitate Hallensi, quæ duobus à Merseburgensi loco miliaribus distat, fuit matrona quædam non ignobilis; quæ, iugi ferè dentium dolore vexabatur, ad eò, vt paulatim robore dentium absumpto, spem salutis assiduitas negaret doloris. Cumq; noctis cuiusdam initio vehementius acerbitate morbi stimularetur, cum graui suspirio hanc prorupit in vocem: O beate HENRICE, qui omnium te quærentium necessitati succurris, me peccatricem plena fide te inuocantem, ne despice; sed fac, vt vel vnus noctis per tuum patrocinium perfruar quiete. His dictis, præ tædio, caput ad modicum reclinanti somnus obrepit: statimq; omnis, quo diu laborauerat, dolor funditus abscessit.

## CAPVT

LVII



## CAPVT XLVII.

*Punitur Monachus S. Henrico detrahens.*

**H**N Monasterio Beati Petri, quod Merseburgensi ciuitati contiguum est, res talis accidit, cuius ferè omnis congregatio meminit, ipseque frater, de quo sermo est, adhuc superstes inquisitus, cum gemitu referre consuevit. Cùm festum Beati HENRICI, pari voto, longè lateque, omnes terræ illius Ecclesiæ, ritu festiuore, colendum exciperent; eadem, quanto vicinior, tanto in laude illius prompta, pro suo posse, cœpit esse ornatio. Sed quia impossibile est, vt in prosperis quis, quamuis iustus, quamuis sanctus, liuorem effugiat, Frater quidam, inuidiæ stimulis actus, eius sanctitati non timuit derogare, & modis omnibus, eius, quantum in ipso fuit, reniti gloriæ, in tantum, vt ea die, cultiora quæque, (quia tunc custodis officioungebatur) occultaret, & signorum grandium consonantiam præpediret. Sed non diu frater ille impune DEI, & Beati HENRICI tulit offensam. Nam cœpit subito toto corpore ferè quinque sensuum officio priuari, deinde animi rigore laxato, palàm omnibus DEI iudicium in se protestari, sicque necdum ad perfectum sanatus, aliquantulum in melius reparari.

## CAPVT XLVIII.

*Apparitio S. Henrici.*

**H**oc, quod subiungam, ipso, de quo dicturus sum, Episcopo referente, DEO teste, cognoui. Cum Polonia iugum imperij, utpote gens rebellis & effera, & magis saltuum & paludum inuis, quam virium robore confisa, de ceruice sua niteretur excutere: ad reprimendam eius contumaciam gloriosus Imperator Fredericus animum intendit. Cumque indicta generali expeditione, copiosus à diuersis Regni partibus contractus esset exercitus

H

citus



citus: Principes terræ illius, & omnis populus timore correpti, quippe qui regni vires contra se moueri: se autem impares, & inexpertos peritiæ belli videbant, ad placandam regis iram legatos mittentes, iterata subiectione prioris discidij errorem corrigere omnimodis promittebant. Ad hoc ergo reuerendæ personæ, miræque prudentiæ Episcopum Ploensis Ecclesiæ *Vuernherum* elegerunt, eumque cum donis, regiam magnificentiam decentibus, ad Imperatorem Aquisgrani morantem, & ossa CAROLI Magni leuata in thecis auro gemmisque confectis recondentem direxerunt. A quo diu repulsus, tandem interuentu Principum, in gratiam admissus, legatione ad votum peractâ, cum reliquiis S. HENRICI, aliisque donis ab Imperatore perceptis redit: Et in nemore, quod Zurbia ac Polonia terminis interiacet, mediante iam die, tentoria figi præcepit.

Cumque post refectionem fessos ex itinere artus quieti dedisset, quidam in somno, regia veste circumamictus, & dextra sceptrum gerens illi adstitit, hisque verbis eum allocutus ait: Quid in hac vasta solitudine somno deprimeris? Quæ tecum nesciens geris? Et dum ille perterritus, quisnam esset, interrogaret: Ego sum, ait, HENRICVS, Babenbergensis Ecclesiæ fundator; qui in temporalis vitæ cursu, immortalitatis compendium à Domino promerui. In eo ergo, quo iaces, loco, Ecclesiam nomini meo, prout tempus permittit, construe, sciens, proculdubio, processu temporis, diuinum in eo seruitium augmentari.

Surgit igitur Episcopus, statimque per famulantium ei manus certatim ruentibus lignis, in modum habilem fecit Ecclesiam, sed de lapidum penuria, qui ibidem audiri, non videri consueuerant, dum anxius circuiret Episcopus, casu baculum, quem ferebat, in aggestum terræ cumulum figens, lapidum copiam in similitudinem quadratorum reperit; sicque altare componens, DEI & Beati HENRICI, sanctique Sigismundi Regis nomini dedicauit. Vbi nunc, multis adfipulantibus, maior Ecclesia construitur, ac monachica professionis Ordo inchoatur; quodque ille prædixerat, iam impleri



pleri videtur. Hac igitur occasione nomen Beati HENRICI apud illas nationes in veneratione cœpit haberi.

## CAPVT XLIX.

*Nefaria cuiusdam simulatio castigatur  
diuinitus.*

**Q**UODAM tempore cum non modica multitudo pauperum, variis languoribus oppressa, in Ecclesia Merseburgensi non solum sanitatem corporis; sed & stipem importunè petens confluxisset: Populus, qui, orationis causâ, aduenerat, prout facultas permittebat, vnique misericordiæ manum porrigebat. Vbi rusticus quidam è proxima villa, cupiditate sordens, neruorum contractionem simulauit, & recuruato pede in medio languentium consedit. Quem, dum rei domesticæ cura regredi compulisset, iamque baculo innisus, ficto gressu, extra limen Ecclesiæ processisset, locum quærit opportunum, vt pede reflexo, expeditius, quò tendebat, perueniret. Sed DEO, & Beato HENRICO dignam eius meritis pœnam ingerente, miseriam, quam antè simulauerat, iam dolore irrefragabili, pedemati cohærente, sentiebat. Quid ageret? Pudor, dolorque conflictu pari in eius mente decertabant. Pudor propalare rem gestam prohibebat. Dolor, confiteri cogebat. Vicit tamen timor. Et omnes hæc audientes, grandis apprehendit timor. Hoc itaque iudicio cunctis claruit, DEI famulum non solum votis piè quærentium adesse; verùm etiam talia præsumptibus districtum obesse; sicque deinceps perfidorum præsumptio talis cessauit.





*Cæcus lumine donatur.*

ST Ecclesia parochialis Ecclesiæ B. Petri in veteri Castro contigua. Iuxta quam residens cæcus quidam, audiuit concentum popularium in reparatione cuiusdam ægri deuotissimè congratulantium. Erat autem hic de terra, & de gente Sclauorum: quibus simplicitas, vel irrationabilitas, prauitate quadam ingenij, naturalis est adeò, vt vix vel tenuem fidei videantur habere scintillam. Quærit ergò causam talis concentus. Cui, cum pro sanatione languentis hæc fieri, indicatum esset, ait: Iste HENRICVS Teutonicus cum sit, solis Teutonicis gratia sua prestat subsidium: Mibi verò, gentiq; mea hominibus nihil vnquam beneficij contulit. In risum ergò, qui aderant, excitantur. Quidam verò sanioris animi, vt Ecclesiam petat pro salute sua rogaturus, adhortantur. Ductus itaq; vbi reliquiæ Beati Confessoris seruabantur, humi prosternitur: Et paulò post pietatem Teutonicis, Sclaus ipse, quam negari sibi querebatur, experitur. Cæperunt enim ab oculis eius albedines in modum squamarum auelli, optatumq; lucis suffragium in eo redintegrari. Vnde gens illa, quæ vt dixi, rustica simplicitate, & fidei pusillanimitate se sperni arbitrabatur, hoc beneficio, fiducia, speq; resumpta, vltra omnes Beatum HENRICVM studio deuotiori venerabatur.

## CAPVT LI.

*Claudus curatur.*

Vius rei, quam dicturus sum, tot ferè testes habentur, quot fratres, qui tunc temporis fuere, apud præfatam B. Petri Ecclesiam inueniuntur: qui eam tanto fidelius, quanto verius agnouisse contigit, attestantur. In quadam eorum villa ciuitati proxima, rusticus quidam, graui tactus infirmitate, officium pedis vnus amiserat, adeoq; arentibus neruis ac carne præmortua emarcuerat, vt humana solertia, vel studio in eo recuperari sanitatem, tam ipsi,



ipsi, quàm omnibus eum intuentibus, impossibile videretur. Unde, quod ab homine fieri desperabat, ab eo, cui nihil est difficile, sed solus restaurat vniuersa, per Beati HENRICI patrocinium, fide firma, spe solida, quærens; eius misericordiæ ianuam fletibus assiduis, ieiuniis crebris pulsauit, & tandem in formam pristini gressus restitui meruit.

## CAPVT LII.

*Mulier surda & muta & audiendi & loquendi facultatem recipit.*

**I**N pago quodam miliari vno à Merseburgensi castro distante, mulier surda & muta ab exordio natiuitatis suæ, à propinquis & ciuibus, misericordiæ sinu fouebatur. A quibus, ad Ecclesiam perducta, nutibus & signis, quibus erga eam uti possibile fuit, ante beati Confessoris reliquias prona sterni iubebatur. Sed illa iumento insipienti similis, pro se nil rogare nouerat; vel quod essent reliquæ, aut quid gereretur, penitus nesciebat: cui tamen fidelium pro salute eius in commune supplicantium oratio, fidesq; subueniebat, & per Beati HENRICI suffragia, ut ipsa postea testabatur, in utroq; corporis officio reformari meruit ex integro.

## CAPVT LIII.

*Ignis urens, sed non comburens.*

**V**M excubiæ sacræ à fidelibus circa thesaurum incomparabilem sine intermissione fierent, ita ut aliis recedentibus, aliis venientibus, die noctuq; fores Ecclesiæ non clauderentur, custos Ecclesiæ inter oues, lupos, sub vellere ouium latentes, non facile agnoscere considerans, auferri furtim reliquias metuebat. Ad quod præcauendum ex quadris lapidibus, facto satis habili reconditorio, eas in illo locauit. Cui etiam ostiolum ex pino, quod, causa poscente, claudi & aperiri posset, imposuit. Nocte ergò quadam, infra Cursum, matutinum lumē incautus eidem apponens.



ponens, chorum, quem studiosius aliis frequentabat, ingreditur: sed paulò post fumum sentiens, & quid acciderit, animo præfago concipiens, ad locum festinus reuertitur: inuenitq; ostiolum à flamma tangi & fumum dare, sed non lædi. Cuius hæc meritis, nisi eius, cuius illic reliquiæ seruabantur, possunt adscribi? Poterant quidem, absq; ligni & lapidis repositione, à raptu alieno, ipso mediante, seruari: sed pius Confessor DEI, laborem & studium deuotè sibi obsequentium, noluit in casum deperire; ne, vel in paruo detrimento ianux viderentur contristari, ideoq; in ligno, foci vsui apto, vim virtutis suæ ignem à DEO obtinuit obliuisci.

## CAPVT LIV.

*Energumena liberata. Conclusio miraculorum.*

**M**ulier arreptitia de restibus connexa manus coram prædicto reconditorio, licet multum renitens, sistitur. Quæ, demone mugitum in aëra dante seque ab HEINRICO torqueri vociferante, satis ipsa torta liberatur. Visum est illi, vt præsentibus referebat, quandam capite cano, barba proluxa, veste amictum regia, ex eodem loco processisse, & à se spiritum nequam pugnis & minis extorsisse.

Verùm, si cuncta sigillatim, quæ diebus singulis facta sunt miracula persequi voluero, tempus me prius, quàm materia deseret: præsertim cum numero possibilitatem excedente, custos ipse Ecclesiæ, qui omnibus ferè intererat, pauca de multis memoriæ tradere se potuisse perhibebat.

Hoc solùm hîc omittendum non est, quod de calice aureo, de quo supra dictum est, quem ob speciale deuotionis suæ indicium idem Imperator Beato Laurentio confici iusserat, febricitantes, aquæ, vel alterius liquoris haustu, curantur: præstante Domino nostro IESU Christo, qui cum DEO Patre & Spiritu sancto viuunt & regnant DEVS per infinita sæcula seculorum Amen.

RESCRI-



RESCRIPTVM EV-  
GENII PAPAE III. SVPER CA-  
NONIZATIONE SANCTI HEN-  
RICI IMPERATORIS.

**E**ugenius Episcopus servus servorum DEI venerabili fratri  
Egilberto Episcopo, & dilectis filiis, Canonicis Bambergensis  
Ecclesie salutem & Apostolicam benedictionem. Sicut per  
literas & nuncios vestros vobis mandasse meminimus, ve-  
nerabiles fratres nostros N. sancte Rufine Episcopum, & N. presbyterum  
Cardinalem pro diversis negotiis ad partes illas de nostro latere delegavi-  
mus, cuiusq; viua voce iniunximus, vt ad Ecclesiam vestram accederent, atq; de  
vita & miraculis Henrici Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & li-  
teris suis nobis significarent. Nunc autem eorundem fratrum nostrorum, &  
multorum religiosorum & discretorum virorum attestacione, de castitate  
ipsius, de fundacione Bambergensis Ecclesie, & multarum aliarum, qua-  
rundam quoq; Episcopialium sedium reparacione, & multiplici eleemosy-  
narum largitione, de conuersione Regis Stephani & totius Hungarie, Do-  
mino cooperante, per eum facta; de glorioso etiam ipsius obitu pluribusq; mi-  
raculis post eius obitum, ad ipsius corporis presentiam diuinitus ostensis,  
multa cognouimus.

Inter que illud precipuum & memorabile plurimum attendentes  
quod cum diadema sceptrumq; Imperij suscepisset, non Imperialiter, sed spi-  
ritualiter vixit. In thoro etiam legitimo positus (quod paucorum fuisse legi-  
tur) integritatem castimonie vsq; in finem vite conseruauit. Quae quidem  
nos omnia simul perpendentes, atq; deuotionem vestram & Ecclesia Bam-  
bergensis, quae sanctae Romanae Ecclesiae soli subesse dignoscitur, diligenter  
considerantes, tametsi huiusmodi petitio nisi in generalibus Conciliis ad-  
mitti non soleat, auctoritate tamen S. R. E. quae omnium Conciliorum fir-  
mamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atq; eiusdem memorabilis  
viri, cuius exaltationem requiritis, fratrum nostrorum Archiepiscoporum &  
Episco-

Baron. Tom.  
XII. Anna  
Christi 1152.  
num. I V.  
Hoc Rescri-  
ptum deest, in  
Cod. Rebdor-  
stensi. Exstat  
tamen in Apo-  
grapho Bam-  
berg.



Episcoporum, qui presentes aderant, communicato consilio, memoriam inter sanctos de cetero fieri censimus, & anniuersarium ipsius diem solenniter celebrari constituimus. Vestra itaq; interest sic in S. R. E. obedientia & fidelitate persistere, & sic ei digna deuotionis obsequiis respondere, vt ampliori beati Petri & nostrâ gratiâ digni inueniamini. Datum trans Tiberim pridie idus Martij.

## Appendix.

Nideralten

**D**ropè sub exordium huius vitæ fit mentio S. Gotthardi Abbatis Althahæ in Bauaria, qui postea ab Henrico Imperatore ad Episcopatum Hildesheimensem euectus est. Erat hic ob sanctitatem morumq; integritatem Imperatori charissimus etiam tunc, cum adhuc Abbatis officio in Bauaria fungeretur; quod cum aliunde liquet, tum præcipuè ex septenis hisce Diplomatis, in gratiam Gotthardi Abbatis & emolumentum eius Monasterij, cui præfidebat; ab Imperatore datis: quæ iam olim ex vetustis membranis exscripsit, vir admodum reuerendus, eximius, ætate, eruditione & virtute commemorabilis, Doctor Georgius *Lutherius* ad D. Virginem Monachij Præpositus. Quæ hîc subiicere visum, tum quia vitam & res gestas sancti Imperatoris, sanctiq; Abbatis & Episcopi illustrant; tum quia ad Bauaricas antiquitates spectant, tum deniq; quia præclara pietatis & liberalitatis exempla euulgare decet, piis ad imitationem, impiis ad cautelâ: Nam vel ex his satis superq; liquet, Henricum Regem & Imperatorem, non caluisse Lutherano vel Caluiniano genio, quia alioqui Ecclesias nõ extruxisset, sed destruxisset; nec eas amplissimis prouentibus dotasset, sed rapacibus unguis expilasset, vt solet Lutheranus & Caluianus alastor: nec Monasteria condidisset, sed condita solo æquasset, & Monachos vltra Mœotidem paludem ablegasset.



DIPLOMA